



Catalogus disert.

1. Jo. Aug. Ernesti
 1. de fide historica.
 2. de difficultatibus Novæ T. recte inter-pretandæ.
 3. de templo Herodis N.
 4. de vanitate philosophantium etc.
 5. de vestigiis lingua hebraica in lingua græca.
 6. de theologia historica & dogmatica coniungenda necessitate.
 7. de libertate iudicandi in causa reli-giosis.
 8. de doni linguarum natura ad illustr. 1 Cor. XIII.
 9. de avarephasavocæ coelestium et ter-restrialium ad Eph. I. 10.
2. D. J. J. Emmler
 10. de liberali doctoris S. I. provincia
3. M. J. P. Franer
 11. de quo Christus imago dei inaccessibilis, ad Act. II. 4. Coloss. I. 10. Hebr. I. 3.
 12. spiritus h. apostolorum Jesu & magister arguens mundum, ad Act. XIII. 8 - 11.
 13. de quo Christus, quam in sententiam sit, et dici legislator novus possit.
4. J. F. Hebrich
 14. de iis qui primitias spiritus acceperunt ad Rom. VIII. 27.
 15. Epist. cath. Capitul. Ab. Paul. epist. ad Rom. 2. Sign. sac. Baumgarten.
 16. de xxxviii tybia ab hominib; in hac vila non obtinenda.
 17. obs. ad illustrationem N. T. ex pro-feris.
- Ul. J. Wederlein
 18. de vero usu atque abusa rationis hu-manae in rebus divinis.
7. D. Gottf. Löff.
 19. de doni linguarum indole
 20. de filio hominis
 21. Sententia iudeorum de messia & de iure eius regno.
8. Franc. Volkmar Reinhard
 22. utrum ad iudicium de miraculis requi-ratur universæ naturæ accurata cognitio.
9. Ernst. F. Wernsdorff
 23. de amen liturgico.
 24. iudicium de nonnullis dubitationibus contra rel. christi.
10. J. Boni. Koppe
 25. quid sit & auctoritas reg. Ægyptiorum et qui & rexerunt 2 Theos. II. 3 - 13.
11. J. L. C. Loeber
 26. iudicia iustitia divina in morte athenia ad Act. I. 1 - 11.
12. F. Andr. Stroth.
 27. de vera lecture 1 Joh. II. 2.
13. D. C. C. Tittmann
 28. de quo deus in servator in ev. Joannis de-monstratur.
14. D. C. G. Robert.
 29. causa belli horacitici adversus lana-naos gæti. Tacunt multa.
15. C. D. Beer.
 30. specimen historiae bibliothecarum alexan-dricarum.
16. C. L. Gerling
 31. doctrina de summa atq; æterna de se Christi divinitate.

Jouann.
N. 129.
2.

19

Q. D. B. P.

COMMENTATIO PRIMA
THEOLOGICA INAUGVRALIS

DE

VSV ET ABVSV RATIONIS
HVMANAE IN REBVS DIVINIS

QVAM

AVSPICIIIS DIVINIS

ATQVE INDVLTV

VENERANDAE FACVLTATIS THEOLOGICAE IN ALMA FRIDERICIANA

PRO GRADV

AC PRIVILEGIIS SS. THEOLOGIAE DOCTORIS
RITE CAPESSENDIS

D. XVI. FEBRVARII MDCCC LVIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILABIT

M. CHRISTIANVS ALBERTVS DOEDERLEIN

SERENISS. DVCIS MECKLENBVRG. A CONSISTORIO SACRO

ET SS. THEOL. PROF. P. O. DESIGN. IN ACADEMIA

ROSTOCH.

H A L A E

EX OFFICINA SCHNEIDERIANA



COMMENTARIUS
THEOLOGICO-PHYSICUS
DE
VSV ET ABVSU RATIONIS
HUMANAE IN REBUS DIVINIS

A VERTICIS DIVINIS
P. G. G. G.
AC THEOLOGICIS DOCTORIBUS
P. G. G. G.

M. CHRISTIANVS ALBERTVS BOBERGIVS
SERVITIIS SACRAE THEOLOGICAE ACADEMIAE
P. G. G. G.

IN OFFICINA SCHEPERDII





DE
VSV ET ABVSV RATIONIS HVMANAE
IN REBVS DIVINIS.

SECTIO I.

QVAE SIT VIS ATQVE POTESTAS VOCABVLI RATIONIS?

PARTICULA PRIMA.

§. I.



Tam late per vniuersum theologiae campum patet haec, quam disputandam suscepimus, grauissima quaestio, de vsu & abusu rationis humanae in rebus diuinis; vt infinitus fere numerus possit referri eorum, qui vel strictim ac quasi obiter, vel copiosius accuratiusque hanc super rem sunt commentati. Praeter illos enim, qui integra theologiae vel dogmaticae, vel polemicae, vel moralis etiam, systemata condiderunt; omnes isti in hoc sunt referendi numero, qui data opera aut contra Pontificios, Enthusiastas, atque Pseudomysticos, quid possit ratio, quique sit illius genuinus & legitimus vsus? demonstrarunt: aut contra Naturalistas, Socinianos, Pelagianos,

nos, aliosque huius generis homines, ostenderunt imbecillitatem rationis in diuinis rebus, quique illius abusus nobis sit cauendus? Hi omnes vero a vnam tantum alteramque partem totius causae sunt persecuti; vt B. IOH. MVSAEVS in vtilissimo tractatu *de vsu principiorum rationis*, de ratione tantum obiectiue sumta praecipue disputans, quod ipsum & B. BALTH. MEISNERO in *philosophia sobria* propositum erat: aut vero longe plures alias quaestiones sibi simul sumserunt expediendas, atque propterea, cum rerum multitudine fuerint occupati, huic vni negotio tantum curae impendere haud potuerunt, quantum necesse est, si vniuersam causam ita animo complecti velis, vt quibusuis datis occasionibus, atque in toto salutis humanae negotio, quid tribuendum sit humanae rationi, possis recte constituere. Sunt & nonnulli, qui iusta tractatione, atque hoc vnum agentes, omnem rem persequi atque exlurire conati sunt. * Sed praeterquam quod & hi ipsi totam causam exhaustisse, nondum possint videri, praeferrim si non solum ad cognitionem veri, sed & ad vitae christianae vsum, quidque ratio in eo valeat, respicias; habent & non nulli eorum quasdam cautiones, quibus neglectis nocere magis, quam professe poterunt. Recrudescunt etiam subinde, nostris praesertim temporibus, contra christianae fidei hostes grauissima certamina, aliam atque aliam induentia formam, quae & propterea nouam atque vberiore postulant tractationem. Haec qui considerauerit prudens rerum aestimator: imo qui ipsius nostrae ecclesiae norit praesentem statum, quidque contra castitatem puritatemque euangelicae doctrinae media in euangelica ecclesia molitur hostis humani generis; facile largietur, rem maximopere necessariam vtilemque esse, vt tota causa nouo semper indefesso studio reprehensa, alte infigatur menti studiosae iuuenturis. Quocirca non sine ratione & causa animum esse me mihi videor, vt pro modulo virium a Deo concessarum, proque muneris, ad quod Deus me vocat, dignitate, conferrem aliquid ad repellendas coercendasque perniciosas opiniones, quae nisi CHRISTVS ipse intercedat, ecclesiae nostrae infausi quid portendunt. Quo in genere periuicundum mihi accidit, hoc ipso nostro tempore socios habuisse nonnullos egregios prudentesque viros, qui,

* Plerosque, qui hanc tractarunt quaestionem, nominat IO. XLEVTH. A VERIMONTIBVS in *cogitationibus de ratione humana*, germanice editis. P. 1. §. XXII. not. n. p. 85. sqq. Quibus addi possunt nonnulli, qui recentiori memoria scripserunt, vt IS. WATTS. *Stärke und Schwäche der menschlichen Vernunft* 1740. cum praefat. sum. ven. viri JOH. AD. STEINMETZ germ. editum. *Silhovete Schreiben von der menschlichen Vernunft*; & fortasse alii, quorum scripta mihi videre nondum contigit.

quantum periculi ecclesiae imminet ab intulescente rationis abusu, acute & praeclare perspicentes, fortiter huic torrenti publicis etiam scriptis obviam ire consultum duxerunt. Praeter ea enim, quae, a priscis temporibus exemplum ducens, in omnibus fere historiae sacrae paginis, aliisque monumentis monuit vir nuper in his litteris plane summus B. IOH. LAVR. a MOSHEIM; pereleganter & erudite hanc eandem causam egit vener. IOH. BENED. CARPZOVIUS in dissertatione *de syncretismo philosophiae & theologiae*. vt alios taceam: plures enim nominatim excitare nihil attinet.

§. II.

Mihi igitur, qui non vnam tantum causae partem disputare, aut ab vno tantum latere quasi rem intueri: sed totam causam in vniuersum completi, apud animum constitui meum, istorum magnorum hominum, qui ante me hanc palaestram intrarunt, monitis quae fortasse deesse videbantur, addenda, cautiones, si quas habent, indicandae, atque simul oppositi hominum generis, Enthusiastarum nimirum atque Pseudomysticorum peccata repellenda fuerunt. Neque ipsum hoc postremum sine causa susceptum videatur. Vt enim taceam, istos homines, qui humanae rationis corruptam indolem, eo, quo in nostra ecclesia ex Dei verbo proponitur, modo, aequo animo ferre haud possunt, hoc vel maxime vt stratagemate, vt meliora suadentes viros, apud imperitam certe iuuentutem, in contemptae plane rationis crimen adducant; cui quidem criminationi omnium optime ita occurritur, vt simul verus atque sobrius rationis vsus accurate ostendatur: Omnino etiam nostra infelix aetas eiusmodi hominum haud minus ferax est, qui rationem plane abiiciendam esse praecipientes, castam verbi diuini doctrinam ineptis atque perniciosis sui ingenii somniis aequae deprauant, ac isti priores sub splendido rationis titulo conantur facere.

§. III.

Res diuinae, in quibus quid possit ratio humana? explicandum nobis summus, in vniuersum quidem ea dogmata & decreta sunt, quae diuinitus in scripturis sacris reuelata, viam homini & rationem ostendunt, qua ad veram aeternamque salutem peruenire. Sed duplici praefertim modo possunt eadem considerari. Ac *primo* quidem, quatenus in scriptura sacra reuelatae, nostro animo & intelligentiae obiiicuntur, vt eas cogitando recte complectamur: *deinde* quatenus ad horum dogmatum diuinorum normam atque rationem & mentis interna cultura, & totius vitae vsus a veris christianis

stianis est componendus. Mihi vero constitutum est, viroque modo res diuinas considerare, atque non solum, quid possit ratio intelligendo dogmata diuinitus ad salutem nostram reuelata: sed & quae sint illius vires atque vsus, demonstrare, cum ad internam animi emendationem & ad veram morum sanctitatem peruentum est. Hanc vero tractationem totam tribus concludam sectionibus. Quarum *prima* ostendet, quae sit vis atque potestas vocabuli rationis? *altera* declarabit verum & legitimum rationis humanae vsum in rebus diuinis. *Tertia* denique dispiciemus, quis rationis humanae abusus in rebus diuinis sit cauendus?

§. IV.

Etenim cum *rationis* vox aliquanto vagam habeat atque ambiguam potestatem; ante omnia nobis curandum est, vt seiunctis atque recte constitutis diuersis plane significationibus, de singulis seorsum atque distincte pronuntiare possimus. Quamquam enim admodum commoda & compendiaris via videatur, arrepta aliqua pro arbitrio nostro vocis potestate, infinita inde conclusionum firmata suspendere; procul dubio tamen & nosmetipsos & alios essemus decepturi, si videamur nobis tunc totam rem praeclare gessisse, atque prout negotii grauitas postulat, exhaustisse. Valent equidem, vt in prouerbio est, verba, sicut numi: atque proinde cuiuslibet libera facultas est relinquenda, quam velit voci vim in contextu orationis subiiciendi, modo ne nimis longe a communi & trito vsu recedat: attamen cum nemo adhuc constituendae vocum potestatis dictator creatus sit; eandem, quam tibi arrogas, libertatem, etiam alteri concedas necesse est. Qui si plane ab alio latere rem consideret, atque tu; culpabit, quod tu laudas, atque negabit, quod tu tanto tuo ratiociniorum apparatu optime demonstratum esse conrendis. Hinc, nisi & aliorum cogitata cognoscas, eorumque modestam habeas rationem, inanes rixae, atque thraonicae voces ventosorum hominum, qui sibi soli placent, contemnentes alto atque scholastico supercilio, quidquid sectae iugum subire recusat. Neque vlla ratione fieri potest, vt illa compendiaris via totam causam ita aperiat, vt illam animus veri cupidus plene perspicere, recteque ab omni parte diiudicare, quidque sit in aliorum sententiis verum, quid a vero alienum? tuto, ac sine alicuius contemptu aut iniuria discernere queat. Quare philologica atque historica tractandae causae discussio ad solidam rerum cognitionem adeo est necessaria, vt harum rerum incuriosi homines vbique, quemadmodum MELANCHTHON de scholasticis sui aevi dicere consuevit, dent poenas negle-

neglectae grammaticae, id est, neglectae philologiae reliquarumque humaniorum artium, multaque committant, quae a modestia atque ingenio prudentis atque eruditi hominis procul absunt. Quae cum ita se habeant in uniuerso litterarum genere; omnium maxime in hoc grauissimo negotio, cum de usu & abusu rationis humanae in diuinis rebus quaeritur, summo studio nobis cauendum est, ne variam & ab aliis aliter constitutam vocis potestatem negligentes, ex vna aliqua, eaque singulari, definire audeamus, quid laudandum sit in ratione humana eiusque usu, quidue culpandum? Neque enim hic tantummodo vanae de verbis contentiones metuendae sunt, quamquam & haec a prudentia christiana & theologica satis sint alienae; sed grauissimi errores, qui ad totam causam christianae religionis pertinent, ex hac vna re aut oriri possunt, aut certe foueri, si diuersi huius vocis significatus non satis caute discernuntur, atque imprudenti consilio in vniuersum de humana ratione in alterutram partem pronuntiat. Etenim si rationem humanam omnino vituperes, nullo adhibito discrimine; Enthusiastae & fanatici homines se inde multum adiuuos sentient: cum contra perniciosi Pelagianorum aliorumque eius generis hominum erroribus nihil commodius ac optatius accidere queat, quam si rationem in vniuersum imprudentibus extollas laudibus. Vt alia eaque grauissima incommoda, quae ab utroque peccato prouenire solent, taceamus. Quae quidem tota res ex hac ipsa nostra tractatione, iuuante Deo, luculenter patebit.

§. V.

Omnium maxime peruulgata est ista rationis diuisio, qua nunc obiectione nunc subiectivae illa spectatur. Quod

I. ad rationem obiectione spectatam attinet; comprehenditur hac voce ipsa rerum natura, quatenus in intelligentiam nostram cadit, principiaque quaedam prima indubitata suppeditat, quibus nisi ulterius progredi, atque ratiocinando definire possumus, quid rebus conueniat, quidue ab istis sit alienum? Atque hoc modo considerata ratio rursus II. nunc in vniuersum omnem nostram rerum cognitionem indicat, quam nostris naturalibus intelligentiae viribus siue *experiendo*, siue *ratiocinando*, siue etiam aliorum testimonio humano *credendo*, assequimur: atque hoc modo opponitur ratio reuelationi diuiniae: nunc vero III. sensui aut fidei humanae opposita ratio ea tantummodo principia complectitur, quae vniuersalia vocantur. Haec omnium cognitionis nostrae initia, atque inde deductae certae conclusiones, quatenus nostris naturalibus intelligendi viribus natura rerum subiecta est, ab aliis

vocantur *principia rationis*: atque rursus ab aliis *lumen rationis*. Vt enim corporalis lux clara & expressa in nobis oculorum visa progignit; ita & rerum natura, quatenus intelligendo eam percipimus, menti nostrae claram explicatamque cognitionem imprimit. Est adhuc alia rationis obiectivae spectatae diuisio. Etenim nunc IV. ea rationis principia indicantur, a quibus in cognoscendis rebus ratiociniorum fit initium, quaeque in iustis sylogismis *propositiones praemissae* vocantur; quo quidem modo ratio obiectiva *materialiter accipi* dicitur: nunc vero V. regulas istas vniuersales de iusto & legitimo ratiociniorum modo atque forma dicimus rationem obiectivam *formaliter consideratam*.

§. VI.

Iam vero si rationem *subjective* sumtam propius consideremus; adhuc multo magis diuersam & ab aliis aliter acceptam rationis potestatem offendimus. Sunt enim VI. qui tam angustis finibus circumscribunt huius vocis vim, vt non de potentia atque facultate quadam humanae mentis loqui videantur, cum de ratione disputant; sed de actu quodam & modo intelligendi verum. Nimirum rationem definiunt nonnulli, *perspicientiam suae introsipientiam in nexum veritatum vniuersalium*. Qui quamquam suo sensu abundare queant, neque ego temere de vocum potestate, excepto isto loco, vbi de interpretandis aliorum verbis agitur, cum quoquam certandum esse putem: atque omnino eiusmodi nonnumquam incidant loquendi modi, quibus non tam intelligendi facultas, quam ipsa veri intelligentia videatur indicari; negari tamen haud poterit, communioem & magis perculgatam tum philosophorum, tum communis vitae vsum huic definitioni quodammodo refragari. Etenim omnes, cum rationis vocem audiunt, aut ipsi adhibent, potentiam atque facultatem animi quandam videntur cogitare, quae homini natura inest, quaeque ipsi animalis rationalis nomen peperit. Paulo aequiores VII. sunt illi, quamquam & ipsi satis anguste de ratione cogitent, qui illam ad veri intelligentiam quidem tantummodo alligantes, *potentiam* tamen quandam & *facultatem* esse dicunt, qua homo aptus est ad nexum verarum idearum & iudiciorum distincte intelligendum. Atque haec quidem vocis potestas omnino communi vsu quodammodo confirmari videtur; cum saepe de ratione ita differere homines videamus, vt naturale ornamentum atque virtus sit humanae naturae, opposita stupori & pinguedini mentis. Neque tamen putandum est, ita praecipuum atque definitum esse linguae vsum, vt alios, qui latiore atque amplio.

amplio rem rationi potestatem subiiciunt, propterea culpandos, aut omnino exagitan dos tibi sumas.

§. VII.

Etenim VIII. saepius accidere solet, ut de ratione loquentes, neque ad verum, neque ad errorem respiciamus: sed in vniuersum eam animi humani facultatem rationem vocemus, qua ideas atque iudicia, siue a veris siue a falsis initiis oratio procedat, apte connectere, atque dato vno, quid necessario & legitime ratiocinando inde pendeat, distincte perspicere, homo potis est. Quod cum itaque ope ratiociniorum fiat, *ratio* hoc modo accepta nihil aliud est, quam *facultas ratiocinandi*. Atque haec quidem facultas ceteras intellectus facultates praerequirit, quibus homo antecedit reliquas animantes, facultatem scilicet animi nostri, notiones explicitas, siue distinctas habendi, atque easdem iudicando coniungendi aut separandi: sicque sciungitur ratio a facultate sentiendi & imaginandi, quam homo habet cum brutis animantibus communem. Hinc hoc quidem sensu ratio est complexus earum facultatum, quibus praestantia humani generis prae ceteris animantibus continetur. Quotiescunque igitur dicimus, id quod homini praestantiam suam conciliat, esse rationem; toties hanc latiore rationi vim tribuimus. Neque enim bruta animantia ex notionibus erroneis magis ratiocinari possunt, quam ex veris; neque etiam ex. gr. quis dixerit, aprum istud atque artificiosum tot falsarum conclusionum ex vno principali errore aedificium, quod in SPINOZAE disciplina offendimus, potuisse proficisci ab homine, qui ratione fuerit destitutus. Cum igitur rationis vsus requiratur ad connectendas conclusiones non minus cum falsis, quam cum veris initiis; certe hanc vocem ad vnam veri intelligentiam semper restringi, affirmari haud potest.

§. VIII.

Operae pretium esse arbitror, cum res pertineat tum ad totam hanc causam accuratius perspicendam, tum ad defendendos haud paucos optime meritos viros ab ineptorum quorundam hominum insulto risu, ut paulo copiosius latiore hanc rationis potestatem ex scripturae sacrae vsu adstruam. Etenim cum de rebus diuinis atque theologiceis disputatio nostra instituta sit; omnium maxime attendendum est, quam vim vox rationis habeat in istis sanctissimis voluminibus, quibus omnis nostra diuinarum rerum cognitio merito inniti debet. Atque hoc loco id quidem nemini, qui vquam b.

B

LUTHE-

LUTHERI versionem perlustravit, ignotum esse potest, b. virum vocem germanicam, Vernunft, tam in bonam, quam in malam partem accepisse: posteriori modo indicans falsa ratiocinia, quibus homo a vero abducitur. Certe cum Colof. I, 21. dicitur: *isr waret weiland fremde und Feinde durch die Vernunft in bösen Wercken*; nihil aliud b. vir voce, Vernunft, indicare voluit, quam istam hominis ratiocinandi facultatem, quatenus occupata est falsis ratiociniis, quibus homines in transuersum aguntur, quaeque Rom. I, 21. *διωλοσμοι* dicuntur perducentes ad vanam mentem. Quocirca & ERASMUS SCHMIDIUS atque THEOD. BEZA, viri in graeca lingua exercitatissimi eodem sensu comma nostrum vertunt: *eratis --- hostes Dei, mente operibus malis occupata*. conf. B. WOLFFII cur. philolog. ad h. l. coll. Ephes. II, 3. pari modo adiectiva vox *rationalis* vernunftig, nonnumquam adhibetur de artificiosa quidem & callida, sed noxia connexionione errorum culpandarumque rerum Syrac. XXI, 15. I Corinth. II, 4. Colof. II, 4. Jeiuna plane est oratio, ne quid grauius dicam, si contendere velis, voces istas quas b. LUTHERUS sequiori sensu per vocabulum rationis, Vernunft, transtulit, proprie non denotare rationem: sed graecam vocem, *λογος*, eam esse, quae respondeat vernaculo nomini Vernunft; atque propterea ex istis locis non posse confici, quod rationis vox nonnumquam aliquid, quod vituperandum sit, indicare debeat. Ac de vocibus graecis quidem deinceps videbimus. Nunc da quaeso, num recte tibi in definiendis vocum potestatibus plus concedendum esse putes, quam LUTHERO, qui quidem ab vniuerso criticorum ordine magnus germanicae linguae artifex adhuc habetur. LUTHERUS vocem rationis adhibuit iis in locis, vbi eam adhibere haud debuerat, secundum tuam scilicet, quam voci subiicis, notionem: at secundum eam, quam magnus vir eidem voci tribuit potestatem, recte ea vsus est. Quid vero inde efficitur? tuam rationis definitionem non adeo communi & trito vsu confirmari, vt magni atque in differendi arte exercitatissimi viri non saepius longe aliter de ista mentis nostrae facultate cogitent, atque tu. Quapropter sine ratione atque causa eos tu esse accusaturus, qui magnas istas auctoritates secuti, amplio rem vim vocabulo tribuunt. Neque illud quidem magni momenti videtur esse, quod dicas, ad confusionem sermonis vitandam cuilibet voci strictissimam potestatem esse dandam: atque propterea, vt ratio a falsis ratiociniis distinguatur, de catena verarum tantum idearum atque iudiciorum eam esse adhibendam. Etenim hoc quidem linguae consuetudo haud semper requirit, neque etiam patitur, vt res tam minute concidamus. Atque ista praecipue nomina, quae ad facultates mentie

mentis humanae pertinent, plerumque ita usurpari solent, ut vniuersam istam facultatem, siue iam recte siue male adhibeatur, contineant. Sic ista animi vis, quae in apperendo versatur, quamque voluntatem vocamus, hanc quidem appellationem haud amittit, quando homo falsis visis deceptus malum pro bono appetit, neque quisquam propterea putat, hanc vocem vniuersae recto voluntatis vsui esse accommodandam. Eodem modo necesse haud est, ut vniuersalem rationis significatum, qua tota ratiocinandi vis atque facultas continetur, ita dimittamus, ut eam putemus vnice *de recta ratione*, id est, de veris ratiociniis, valere.

§. IX.

Videamus iam, quibus vocabulis ipse Spiritus sanctus in originali scripturae sacrae idiomate istam mentis nostrae praestantiam, qua ad ratiocinandum sumus apti, enunciare soleat. Atque quod ad libros noui foederis attinet, obseruari meretur, vocem, *λογος*, eo quidem sensu, ut animi humani facultatem quandam contineat, nusquam occurrere. Hinc iam fequi viderur, hanc vocem, quamquam profani atque etiam ecclesiastici scriptores de mente humana eam adhibeant, non tamen vnam & solam esse, qua possit illud definiri, quod Latini *rationem*, atque Germani *Wernunft* vocant. Quis enim persuaderi sibi patiatur, scriptores sacros, cum tam copiose de mente humana eiusque indole, dotibus, & corruptione loquantur, nullo plane loco de ista quidem animi vi esse locutos, qua vel maxime humana natura, quatenus brutis animantibus antecedit, continetur? atque cum ipsa vocabula, quibus vtitur Spiritus sanctus, lustramus; omnino complura offendimus, quae nullo alio modo transferri legitime possunt, quam latine per vocem *rationis* aut *intelligentiae*, & germanice *Wernunft* aut *Verstand*. Quae voces omnino aut certo respectu plane synonymae sunt, aut non alio modo differunt, quam nomina *totius* & *alicuius partis*: etenim in intellectu vel maxime, tanquam in suo toto, ratio strictius sumpta continetur. Quod quidem binarum vocum exemplo tantum nunc demonstrare lubet: quas voces b. LUTHERUS minus recte vernacula voce *Wernunft* reddidisse, a nonnullis accusari solet. Sunt istae voces *νοημα* atque *διανοια*: quarum prior in sequiori sensu occurrit 2 Corinth. X, 5. posterior vero Colof. I. 21. Atqui hae ipsae voces adeo sunt propriae hominis, humanaeque naturae, ut plane a nullo vnquam graeco scriptore adhibeantur de brutis animantibus, atque propterea necessario referantur ad eam animi facultatem, qua homo praestat reliquis animantes: quam quidem facultatem *rationem*

omnes vocant. Vox praesertim *διανοια* apud *Platonem* haud vno loco cum voce *λογος*, tanquam synonyma, coniungitur, Deoque ipsi tribuitur. Quare qui eam ad inferiores tantum animi facultates restringi cupiunt, magis suam ignorantiam graecae linguae, quam b. LUTHERI errorem aliquem in transferendis graecis vocibus demonstrant. Habent illi, qui recentiori aerate LUTHERI versionem, quod ad hanc vocem attinet, carpunt, auctorem EMSERUM illum, qui vocem *διανοια* transferri voluit, non *Wernunft*, sed *Sinnlichkeit*. sed ab ipso DIETENBERGERO desertus est; atque pericissimi quique Interpretes adeo ad superiores animi facultates hanc vocem transferunt, vt in iis locis, vbi cum voce, *σας*, coniungitur, eiusmodi peccata intelligi iubeant, quae ab externis sensuum flagitiis remota, intra animum cogitando & ratiocinando tantum committantur. ita ERASMUS ad Ephes. II, 3. conf. WOLFII cur. philolog. ad h. I. & ad Colof. I, 21. Neque origo harum vocum aliud quid patitur. *vs* enim praestantissimam humanae naturae partem adeo proprie denotat, vt Graeci scriptores laudatissimi eam vocem promiscue propemodum cum voce *λογος* vsurpent, quin &, vt postea videbimus, maius quid atque praestantius voci *vs* tribuant, quam voci *λογος*. Eadem illae voces aliis locis in bonam partem acceptae, manifeste illud ipsum indicant, quod nonnulli rationem esse volunt, distinctam nimirum intelligentiam illius connexionis, quam verae notiones atque iudicia inuicem habent. conf. 2 Corinth. XI, 3. Ephes. I, 18. 1 Ioh. V, 20. Atque de ipsa voce *vs*, quae, vt modo dixi, bonis graecis scriptoribus idem propemodum valet, ac *λογος*, itidem obseruandum est, in nouo foedere eam nunc in bonam nunc in malam partem accipi. v. Rom. I, 28. Cap. VII, 23. 25. Quapropter cum id ipsum de ambabus illis inde formati vocibus *νοημα* & *διανοια* modo ostenderit; manifestum esse arbitror, sacros scriptores hanc animi facultatem, quae ratio dicitur, non tam angustis conclusisse limitibus, ac nonnulli volunt, vt semper verum ac rectum intelligentiae vsum indicet: sed potius vniuersam istam huic voci dedisse vim, qua homo dicitur aptus ad ratiocinia formanda, siue iam vera eadem sint, siue falsa.

§. X.

In hebraica lingua *veteris testamenti* vix alia vox occurrit, quae istam mentis facultatem, qua ratiocinamur, significantius exprimat, quam לב. Sunt quidem multa alia vocabula, a B. LUTHERO per vocem *Wernunft* translata, vt *שכל*, *דעת*, *החכמה*: atque etiam *בינה* & *הבונה* eiusmodi quid indicant, quod per rationem in bono significato adhibitam, possis enun-

enunciare. Sed hae omnes voces virtutem potius aliquam animi, studio & exercitatione acquisitam, videntur denotare, quam facultatem, quae homini natura insit, atque propter quam animal rationale audit. Vocabulum **כל** autem, quamquam proprie partem humani corporis significet, quae cor dicitur; attamen per metaphoram eandem ipsam mentis humanae vim continet, qua cogitamus, rationamur, consilia capimus, atque appetitum eo modo dirigimus, quomodo in bruta animantia id haud cadit. Etenim haec vox de brutis, eo quidem respectu, ut aliquid quod in animo inest, denoter, nunquam adhibetur. Atque si quidem totam huius vocis vim complecti velimus; istam ea animi naturam atque indolem indicat, qua quis deliberando & ratiocinando aliquo aut ferri potest, aut re ipsa fertur. conf. Genes. VI, 5. Exod. XIV, 15. 1 Chron. XXVIII, 9. hinc alio loco aperte ista praestantissima animi vis hac voce enunciat, quae potis & apta est, ut studio & exercitatione possit excoli & perducere ad veram sapientiam & prudentiam Prov. VIII, 5. Neque minus de legitimo rationis usu adhibetur Jerem. V, 21. Prou. VII, 7.; quam de falsis peruersisque ratiociniis Hefek. XI, 19. Hinc vocis, *Καρδία*, significatus in scriptura noui testamenti ortus est: quae nequaquam inferiores tantummodo mentis facultates, neque etiam solam appetendi vim, indicat; sed eodem prorsus modo, ut vox **כל** saepissime adhibita, ad totam animi naturam, qua ratiocinamur & consilia capimus, transfertur. Matth. XXIV, 48. 1 Corinth. IV, 5. Quamquam & apud profanos scriptores nonnunquam eodem propemodum significato occurrat. Sed haec haec tenus. Loquatur quisque, per me licet, suo more: modo ne quis sibi solus, cum contemptu aliorum, sapere videatur, cui strictior illa atque angustior vocis potestas placet.

§. XI.

Sunt & IX. qui icidem angustissimo ambitu rationem circumferibentes, prorsus tamen alia via in huius vocis potestate constituenda incedunt, quam hi omnes, quos adhuc de ratione audiimus. Nam cum plerique, ut vidimus, hac voce aut totam mentis naturam, quatenus homo brutis animantibus praestat, aut certe tertiam mentis operationem, qua ratiocinamur, complectantur; contra ea recentiores christianae religionis hostes tantum non omnes, atque cum his *fociniani*, alique nonnulli pseudochristiani rationem ad primam vnicem mentis operationem transferunt, qua rerum notiones explicatas, seu, ut vocant, distinctas atque adaequatas habemus. Neque, si de notione tantum, quam quis voci subicere consultum ducit, ageretur,

retur, magnopere cum his hominibus contendendum esse arbitraret; nam & istis sua in loquendo libertas concedi & posset, & deberet. Atqui longe maior res agitur. Etenim istud hominum genus propterea rationis vim tam arctam constituit, vt possint subdole inde argumenta quaedam concludere, quae cum summa christianae doctrinae iniuria coniuncta sunt. Illud enim solum rationi conforme esse pronuntiant, quod totum, quale sit & quomodo fiat? (modum possibilitatis nostri homines vocant) ita plene perspicere ac explicare valemus, vt nihil plane relinquatur, quod intelligentiae nostrae modum & capacitatem excedat: reliqua vero decreta rationi repugnare decernunt, eamque laessere & irritare. Quod quam falsum atque turpe sit, deinceps videbimus: nunc satis habeamus, indicasse, quam sibi rationis notionem isti homines fingant.

§. XII.

Sequitur longe grauior magisque necessaria disputatio, qua discrimen istud constituitur, quod intercedit X. inter *rationem naturalem*, atque *animum supernaturaliter a Spiritu sancto illuminatum*. Ratio hoc loco spectatur *subiectiue*, & quidem in latiori sensu, vt totum complexum istarum virium complectatur, quibus homo reliquas animantes antecedit (§. VII.): atque perspicue ostendendum est, quae & qualis ratio sit in rebus diuinis, quo vsque homo iis tantum ingenii viribus instructus est, quibus hoc quidem rerum statu homines per se & natura sua gaudent: qualis vero fiat homo, & quid intelligendo possit, cum supernaturali quadam diuina vi altius euehitur, maioremque acquirat virium atque acuminis gradum, quam per se & natura habet. Atque haec quidem causa tanti momenti est atque ponderis, vt ea neglecta nihil sani aut recti de rationis in rebus diuinis vsu & abusu constituere possimus. Neque enim, quae nonnunquam ortae sunt de isto vsu & abusu, offensionis plenae concertationes, aliunde facile profectae sunt, quam quod alterutra pars istud discrimen magis, quam par erat, neglexerat: & periculosus perniciosusque iste, quem nunc media in ecclesia nostra apud multos videmus, rationis abusus, quo quae sunt sanctissima in nostra religione, infausto modo deprauantur, propemodum huic vni rei acceptus referri debet, quod quidam, quid laudandum sit in ratione, quaeque sit eius summa praestantia & vilitas, perspicientes, tam imprudenter saepe & indefinite rationem laudibus depraedificant atque commendant, vt ne vestigium quidem huius grauissimi discriminis in ipsorum disputationibus occurrat. Quis enim miretur, imperitos homines multos, haud satis moni-

ros,

tos, praecipites agi, atque quae audiunt de rationis vi ac praestantia, ad illud duntaxat quod nunc natura habemus, animi acumen transferre, neque sibi putare vlla alia re, etiam in religionis negotio, opus esse, ut cuncta recte perspicere & diiudicare possint, quam ut illam ipsam naturalem rationem exercitiis quibusdam, quae & ipsa natura docet, excolant & emendent. Eiusmodi vero insolentes & inflati homines, cum nec naturae imbecillitatem sentiant, neque maius & diuinius lumen serio quaerant, in diuinas res involantes, misere & infausto ausu totam christianae doctrinae rationem, atque ipsam vitae praxin detorquent atque corrumpunt.

§. XIII.

Quo vero tota caussa melius aperiatur; nonnulli communes loci praemittendi sunt. Atque primo quidem neminem inficiari arbitror, alios homines aliis natura esse stupidiores, neque omnes aequae ad singula rerum genera percipienda esse aptos & accommodatos. Quis enim facile affirmauerit, omnia ingenia ad poetice ita esse formata, ut sola exercitatione ad eundem gradum elegantiae atque efficaciae possint ascendere, ac aliis contingit? quis dicat, matheos sublimioris studia ita in cuiusque intelligentiam cadere, ut nullus stupor animi, nulla imbecillitas naturalis iudicii obster, quominus quiuvis in his rebus idem possit, quod alius? deinde vero neque illud cuiquam obscurum est, posse ingenii atque rationis aciem, quam quis iam natura habuerat, aut ad quam studio & labore peruenerat, aegritudine aliqua, aut animi aut corporis, ita corrumpi atque retundi, ut ad sublimiores pauloque abstrusiores res intelligendas plane homo reddatur ineptus: ita quidem, ut quod antea ingenii viribus poterat, in posterum nullo studio, nulla exercitatione assequi possit, nisi aliqua physica effectio & operatio aegritudini isti medeatur, reddanturque animo pristinae vires atque serenitas. Iam rursus tertio experientia ipsa abunde docet, posse fieri, ut imbecillitas atque aegritudo, qua quis vel animo vel corpore affectus est, ita propagetur naturali generatione ad natos, ut hi ipsi eadem imbecillitate virium, eodem stupore ingenii, eodemque languore premantur, atque parentes. Atque proinde quarto nemo sanus, qui improbis praekonceptisque opinionibus haud obscurat, absurdi quid, quod fieri plane nequeat, in eo offenderet, si quis dicat, totum genus humanum animi stupore aliquo, quod ad certum genus sublimiorum rerum recte capiendum attinet, laborare, idque casu aliquo, quicumque iam ille casus fuerit, in primis suis parentibus ita fuisse quoad ingenii vires corruptum, ut in hoc quidem rerum statu

statu naturali generatione plane stupidi atque inepti ad illud genus sublimiorum rerum capiendum omnes homines procreentur: qui animi stupor atque imbecillitas nulla naturali exercitatione aut labore possit tolli, nisi physica quadam ratione isti occurratur, animusque rursus euehatur ad potentiam & vires maiores. Ac profecto, nisi animi quaedam malitia naturaeque quoddam hominis odium aduersus diuina dogmata complures in transuersum ageret; nemo vnquam absurdi quid, quod rationi rectae repugnet, in ista doctrina sibi visus fuisset deprehendere, qua scriptura sacra naturalem hominum corruptionem proponit. Quid est, quod tricas nectamus? quam infelicem molestiam subiit *Iob. Clericus* *, vt ostendar, doctrinam ecclesiae nostrae de naturali hominum corruptione rationi & rerum naturae repugnare? quam ingeniosus est, ad nudam rei faciem lectorum oculis subtrahendam? quam nudam faciem si quis intueatur tranquillus & vacuus ab ista vanarum tricarum confusione, nihil offendit in tota hac causa, nisi quod & fieri posse, & saepissime in natura rerum fieri, ipsa experientia nos doceat. Sed haec est hominum miseria, vt quod in naturali rerum cursu sine haesitatione admittunt, protinus auersentur, cum primum his ipsis principiis conformiter, scriptura sacra sententiam aliquam pronunciat, quae sit hominum erroribus & vitiis contraria. Iam *quinto* quis tam impudens aut sceleratus potius fuerit, vt Deo, omnium rerum omnipotentis auctori, vires & potentiam deneget, qua possit animo humano pristinam sanitatem reddere, maioremque ingenio vim conferre, quam qua nunc quidem omnes homines natura gaudent? videmus, quoties in singulis hominibus deperdita casu quodam, & corporis & animi sanitas medicorum remedium ope possit restitui; quidni ipse Deus, quod vniuersum humanum genus vniuersali quadam calamitate perdidit, omniponti iussu & nutu suo, quamquam sine medicina aliqua, quae naturali modo operetur, tamen vere physica aliqua effectione & operatione, nobis reddere & restituere possit? atque hoc quidem omnipotentis Dei vires superet, vt maiorem virium & efficaciae gradum nobis imprimat, quam qui nunc natura nobis inest, cui vel ex sola natura diuinam omnipotentiam, quatenus sufficit ad supernaturales etiam effectus producendos, vere agnouerit, nihil in his, quas protuli, argumentorum conclusionibus reprehendere iure poterit.

§. XIV.

* in *epistolis praesertim theologicis*, sub *Liberii de sancto amore* nomine latitans, *epist.* VI.

§. XIV.

Haec monenda fuerunt, ut quid sit ratio naturalis, quid animus diuinitus illuminatus? eo melius possit declarari. Sunt tamen hoc loco adhuc nonnullae cautiones opus, ne quis similitudinem a nobis adhibitam, atque a naturali aegritudine medicinaeque petitam, inique ad alienum sensum detorqueat. Neque enim hoc ita a quoquam intelligi velim, ac si plane eodem modo se res habeat cum animi supernaturali illuminatione, quomodo cum aegritudine aliqua mentis, cui naturalibus, in corpus nostrum efficaciam exercentibus medicamentis possit quis mederi, quaeque propterea praecipuam sedem & initium in corpore habet. Similia non esse extendenda ultra tertium comparationis, antiquum iam est sapientum praeceptum. Nihil aliud mihi propositum fuit, quam in vniuersum demonstrare, posse fieri, ut rationis & ingenii humani facultates ab aliquo virium gradu ita deiciantur, ut homo plane nullo modo, quamcunque adhibeat exercitationem, studium, aut laborem, amissas istas vires recuperare valeat, nisi externa aliqua, atque efficiens causa accedat, quae factam iacturam ipsarum virium physica aliqua operatione restituat. Ut paucis vocabulis rem enuntiem; istud volo, hominem quoad ingenii vires, eo delabi posse, ut *moralis* aliquo modo non possit adscendere ad aliquem acuminis gradum: sed opus esse *physica aliqua additione & restitutione virium ipsarum*: quemadmodum & in communi vita sunt quaedam aegritudinum animi genera, quae nullis possunt moralibus persuasionibus, aut morali quadam ingenii cultura tolli, nisi externa vis & efficacia physica medicinae accedat. Vnde vero vniuersalis ista totius humani generis, quoad rationis in rebus certis vires, corruptio primam originem ducat, atque vbi praecipua eius sedes sit quaerenda, num quidem in ipso animo, an vero in corpore? haec quidem alia quaestio est, quae ad hanc nostram causam non pertinet, sed alio loco est dirimenda. Deinde possit & illud cuidam dubium aliquod mouere, quod Deum dixi posse aliqua *supernaturali* operatione, atque id quidem quodam *physico modo*, imbecillitati humani ingenii mederi. Etenim si vocis propriam vim spectes, *physicum* idem est, ac *naturale*. Quid iam hoc sibi vult, Deum *supernaturali* aliqua operatione, & tamen *naturali* modo aliquid efficere? veruntamen inter omnes constat, phrasin istam, *physicus modus aut effectus*, apud theologos certe, strictam istam & propriam potestatem iam dudum quodammodo amississe. Apud hos enim *physicum* primo opponitur externae cuidam atque morali relationi: quo sensu proinde mutationem aliquam complectitur, quae rei intrinsecus in viribus suis internis & essentialibus contingit. Deinde,

hac potestate praeposita, physicum transfertur ad eam virium internarum mutationem, quae ipsarum virium harum, quae iam adsunt, motu & agitatione non producitur, sed ab aliqua externa causa, in vires nostras vim suam exercente, dependet, quae externa vis vires nostras in eum statum & ad eum gradum aut deiecit, aut euehit, quo eadem sua ipsarum naturali motu & exercitatione nunquam fuissent peruenturae. Atque hoc modo Deus *physice* & tamen *supernaturaliter* in hominis animum dicitur agere, vt nobis maiores ingenii vires tribuat, ea nimirum ratione, qua id quidem nulla naturali vi vllius rei, quae in rerum natura existit, sed proxima & praesentissima omnipotentiae suae efficacia possit perfici.

§. XV.

Atque nunc quidem facili negotio intelligi potest, quae sit vocabulorum potestas atque sensus, quando nunc rationem naturalem, nunc animum supernaturaliter illuminatum dicimus. Atque illa quidem ea est ratio siue intelligentia, quae nunc quidem natura omnibus hominibus inest, cum toto isto virium ingenii gradu, ad quem homo suo ipsius studio & exercitatione, adiutus etiam omnium rerum, quae in tota natura adsunt, naturali vi & adminiculo, pertingere potest. Hic, animus nimirum illuminatus, autem continet rationem siue intelligentiam humanam, quatenus externa quadam accedente efficacia atque vi, divina nimirum proxima & supernaturali operatione, eum gradum virium & luminis naeta est, quem assequi nullo virium, quae natura insunt, intentione & cultura poterat, quamuis accederet vsus & adiumentum totius naturae rerum a Deo creatarum. Illuminatio igitur animi nostri hoc sensu nequaquam in eo consistit, vt tantummodo obiectae cognitioni nostrae res, quae quondam supernaturali modo fuerint patefactae, conuenienti modo nobis proponantur, quas deinceps, cum aut verbis aut litteris sint prolatae, ipsis illis, quae natura nobis insunt ingenii viribus, meditari, recte intelligere & prout decet capere possimus: sed complectitur diuina illuminatio diuinam & supernaturalem actionem in ipsas vires ingenii, quae vires physica quadam Dei operatione eo euehantur, ad eas res capiendas, ad quas capiendas summa nostri ingenii acies, sine ista physica & supernaturali omnipotentiae diuinae efficacia, prorsus inepta futura fuisset; vt si oculo nostro non solum res in lumine quodam positae obiiiciuntur, sed ipsi oculo, vitio quodam laboranti, simul medicina quadam adhibita, integritas sua restituitur. Quod quidem torum, cur ita copiose disputauerim, rectamque illuminatae rationis potestatem demonstraerim tanta cura; facile prudens rerum aestimator intelliget, cui, quae nonnunquam hanc super
rem

rem contingere soleant certamina, non sit ignotum. CLAUD. certe PAJONIVM post omnes PELAGII sectatores eo abreptum fuisse, vt secundum eius sententiam rota illuminatio hominis ad vnam externam oblationem rerum rediret, quas deinde homo suis naturalibus ingenii viribus recte capere & recipere possit, notum est *: quam ad sententiam facile ii delabi possunt, qui imbecillitatis & turpitudinis naturae suae satis memores esse nolunt.

§. XVI.

Demonstrata igitur vocum potestate, quid tum in ratione naturali, tum in animo supernaturaliter illuminato intelligamus, cum simul manifestissimis argumentis sit ostensum, nihil absurdi, quod fieri nequeat, quodue rectae rationi repugnet, in tota hac causa contineri; videamus iam, num verua animi nostri natura, hoc quidem rerum statu, ita comparata sit, vt ratio siue intelligentia naturalis ad recte capiendum intelligendumque istud rerum genus, quas diuinas appellamus, prorsus sit inepta, vtque propterea in iis, qui ad veram aeternaque salutem sint perducendi, supernaturalis aliqua illuminatio requiratur, qua retusa rationis acies in his rebus restituta, euehatur ad maiorem virium gradum. Atqui hoc loco maius argumentum desiderari iure haud potest, quam testimonium ipsius Dei: qui cum sit opifex & efficiens causa, vt totius naturae, ita & animi humani, omniscientia sua procul vilo dubio totam nostram naturam atque indolem melius perspicit atque nouit, quam nosmetipsi nos nouimus. Quare cum inuicis argumentorum conclusionibus constet, scripturam S. ipsum agnoscere Deum auctorem, quaeque illa tradit cum de diuina voluntate tum de natura atque indole ingenii humani, esse ipsius Dei veneranda testimonia; nihil nobis in praesentia, qui hoc loco scripturae S. diuinam originem praesupponimus, agendum est, quam vt dispiciamus, quid diuinus iste liber de humani ingenii viribus in rebus diuinis restetur atque doceat, quidque requirat, siquidem homo istas res recte, ac prout decet, intelligere velit. Cui quidem demonstrationi cum & experientia atque testimonium omnium accedat illorum, qui diuina ope se ad veram animi sui conscientiam perducere sunt passi, quique, quam sit misere deprauatum occoecatamque hominis ingenium, diuina luce illustrari ipsi vident, atque in semetipsis efficacissime sentiunt; nihil superest, quod hominem veritatis amantem abiicientemque inanes istos naturalis occoecatique adhuc hominis spiritus, possit offendere. Neque me mouet stultorum hominum risus, qui neque se eiusmodi quid in animo suo persentiscere, neque

C 2

reliquo-

* vid. ZACH. GRAPPI Theol. rec. controv. P. I. p. 39. sq. P. II. p. 91. sq. FRIDR. SPANHEMII Elench. Controv. p. 371. sqq.



reliquorum hominum maximam partem eiusmodi aliquam corruptionem atque turpitudinem, humanae naturalisque rationis deprehendere aut sentire posse, clamant. Etenim quis ignorat, istos ineptos homines, cum quidem corpus morbo quodam afficitur, neque ipsi salutarem medicinae artem didicerint, lubenter credere prudenti medico, qui eximiis iam artis & prudentiae speciminibus fidem sibi conciliauit, cum ipsis totum morbi ambitum, originem, profunditatem, atque periculum ob oculos ponit, quod quidem totum ipsi ne cogitando quidem assecuti fuissent, nisi medici accederet fides. Atque in vniuersum vere pronuntiari potest, plerumque, qui grauissime aegrotant, ipsos minimam partem profundissimi periculosissimique morbi sentire, eo quidem modo, quo peritus medicus, si postuleretur, rem explicare & demonstrare potest. Neque in corporis quidem vitii solis accidere eiusmodi quid solet: sed & animi status deplorandus, turpisque & rationis & appetitus corruptio, illis plerumque omnium minime perfecta est, qui profundissime in scelorum coeno volutati, neque ratione neque voluntatis libertate uti possunt, cuius generis infelices homines quotidie oculis nostris obuersantur. Rident, cum quis infelices illos deplorat: irritantur, cum quis stolidos & misere deceptos eos dicit: atque se putant iucundam felicemque vitam viuere, cum sint omnium miserrimi. Atque ita quidem cum vniuerso humano genere, quod ad veram aeternamque salutem resque vere diuinas attinet, comparatum esse, nihil obstat, dummodo aliunde certis id indicis & argumentis ostendi possit: quemadmodum, uti vidimus, etiam in naturali & ciuili vita nihil obstat, quominus quis infelix, imprudens, stolidus, omnique vera sapientia vacuus esse possit, quamuis id quidem ipse nec sentiat, nec sentire velit. Agnoscit certe totum humanum genus, quotquot quidem eorum omnem plane pudorem & animi conscientiam nondum abiecerunt, imbecillitatem quandam, & admodum circumscriptas retusasque in multis rebus rationis humanae vires. Quod si iam naturae omniscius aestimator accedens, huius morbi originem, grauitatem, profunditatem, atque periculum nobis declaret: si ipse homo, simulac diuino Spiritus S. lumini locum relinquens, in semetipsum descendat, & ad se rediens conscientiam animi sui excutiat, intimo mentis sensu experiatur, se ita misere esse affectum, prout scriptura S. testatur; quid est, quod iure in tota hac doctrina reprehendi possit? nisi quis improba quadam animi impudentia actus, grauissimas diuinissimasque res impuro suo risu commaculare haud vereatur. Hoc ipsum est praecipua pars miseriae & coecitatis tuae, quod teipsum, periculumque, in quo versaris, ignoras. Accede, ea qua par est animi modestia, ad diuinum lumen, teque & animi tui caliginem ipsi Deo illustrandam praeebe; atque tunc quidem summum istud, quod

inter rationem naturalem supernaturaliterque illuminatam intercedit discrimen, ipsa experientia intelliges. *

§. XVII.

Sed propius accedamus ad rem propositam. Sacrarum litterarum Auctoritas I) nos docet, hominis secundum naturales ingenii vires spectati, prout diuina aliqua & supernaturali illuminatione adhuc destitutus est, animum in diuinis rebus plane esse corruptum, deprauatum, ac ad id, quod vere diuinum est, plane ineptum: idque non in inferioribus tantummodo animi facultatibus, sed potius, quod ad summas praestantissimasque mentis vires, quibus *ratio* continetur, attinet. Luber, nonnullis hanc causam scripturae S. oraculis plenius illustrare, eaque cumprimis ad id deligamus loca, in quibus ista occurrunt vocabula, quae secundum scripturae stylum, vt supra (§. IX.) vidimus, ad supremas animi facultates pertinent. Atque primo quidem vox *ves* ab Apostolo in hac causa adhibetur Tit. I, 15. *τοῖς μεμιασμένοις*, inquit, *καὶ ἀπίστοις ἔθεν καθάρσον, ἀλλὰ μεμιαστοὶ αὐτῶν καὶ ὁ ὄψος καὶ ἡ συνείδησις*: *Mens & conscientia impurorum hominum, quique Euangelio fidem non habent, est contaminata.* Vocem, *ves*, id proprie denotare, quo homo brutis animantibus praestat, & ad Dei similitudinem quodammodo accedit, id est summas animi vires, intelligentiam & rationem, supra demonstratum est (§. cit.) Idque adhuc magis ex eo intelligitur, quod ista vox hoc loco vocabulum, *συνείδησις*, adiunctum habet: quae quidem res, *conscientia* nimirum moralis, proxime ab usu rationis proficiscitur, cum ex omnium consensu iudicium significet, quod homo ipse de suis ipsius factis fert, prout ad legem referuntur: neque cuiquam hominum adhuc temere in mentem venit, eiusmodi conscientiam tribuere brutis animantibus. Iam vero istam supremam animi facultatem, a quo anima rationalis denominatur, Apostolus affirmat contaminatam, inquinatam esse: quo quidem in decreto, quae sit viri diuini mens & animi sensus, ex toto orationis contextu facile colligitur. Atque ipsum quidem verbum *μιασῶ*, proprie pertinet ad res corporales, cum quis foeditate quadam corpus commaculauit, quae in oculos aliorum incurrens, auersionem & nauseam aliquam parit. Deinde vero ad mores animique statum translatum, turpitudinem mentis & factorum indicat, qua quis reprehensionem atque censuram aliorum incurrit, praesertim vero apud iudicem culpabilis redditur. Sic Iudaei Ioh. XVII, 28. verentur, ne turpitudinem aliquam moralem contrahentes, *ἵνα μὴ μωρανθῶσι*, a palchate arceantur. Quod quidem ip-

C 3

sum

* conf. quae copiosius disputati in tractatu vernac. proxime edendo: Das innere Zeugnis des Heil. Geistes von der Göttlichkeit der Heil. Schrift.

sum Hebraei voce **שׁוֹד** efferunt, culpam aut crimen saepius indicantes, quo quis secundum sententiam aliorum se constringit. Hinc Apostolus, hominis rationem turpitudine affectam, & crimine aliquo constrictam esse affirmat, atque id quidem coram Deo, & in diuinis rebus: in his enim tota eius versatur oratio. Sed qualis iam illa sit turpitude, quodque crimen, pressius adhuc constitutum est. In eo versatur Apostolus, vt Tiro salubria suppeditet consilia, quomodo improborum quorundam hominum conatus proficit coercere, qui variis erroribus sanam euangelii doctrinam corrumpere iam tum temporis annis sunt v. 10. 11. quin & ipsos fideles iubet arceri a iudaicis fabulis, aliisque hominum inuentis, quibus coelestis doctrina corrumpatur, v. 14. Cum vero isti homines, a quibus nobis caueamus, praecipue delectum ciborum aliaque eiusmodi instituta vrgerent, quae post Christi aduentum abrogata erant; opponit primo Apostolus eiusmodi commentis singulare decretum, quod ii, qui per Christi fidem sint expiati & purgati, non amplius necesse habeant, vt eiusmodi delectum obseruent, cum illis omnia pura sint. Confessum vero addit communem quandam locum, quod illis, qui vera fide careant, eiusmodi scrupulosus delectus atque huius generis religiosae caerimoniae, etiamsi ab ipso Deo sint praeceptae, nihil prosint, neque verus cultus Dei absoluatur externis quibusdam rebus, sed requiratur pura mens, quae contingere haud queat, nisi per fidem. Hinc quid iam agant isti homines, qui in naturae sordibus adhuc iaceant, neque ad veram fidem accesserint, nil nisi crimina esse, *quia mens & conscientia eorum sit adhuc polluta, τοις μεμιασμενοις και ἀπιστοις ἔθεν κατὰ Θεον*, i. e. eos nulla re, quod ad intelligentiam diuinarum rerum negotiumque euangelii aeternaeque salutis atinet, posse recte vti, sed potius totum animum eorum supremasque illius facultates, *ψην και συνειδησιν*, ita esse turpem atque corruptum, vt simulac ad diuinas res accedant, nil nisi errores atque crimina committant. Atque ne quis, istos homines posse tamen multa praeclare de Deo rebusque diuinis discernere, obiiciat; propterea Apostolus v. 16 addit, quod, qualemcunque Dei notionem in animi sui visis & in oris sermonibus illi habeant, haec tamen non sit ista cognitio Dei, quae Deo ipsi probatur, quaeque hominem re ipsa perducit ad aeternam salutem. Est vero haec Apostoli disputatio eo dignior notatu, quod effugium istud praeclare praescindit, quo vti solent nonnulli homines, quasi quae de corruptione intellectus humani scriptura praecipit, non tam ad Iudaeos pertineant, qui ex scriptura sacra edocti, ita oecoecati vocari haud possint: sed potius ad miseros Ethnicos, qui omni adhuc institutione verbi diuini caruerint. Quod tantum abest, vt affirmari queat, vt potius tota vis orationis contra Iudaeos directa sit: qui quamuis haberent diuinas litteras, tamen quousque non fide
pur-

purgatus sit animus ipsorum, omnia corrumpant, neque ullam veram habeant diuinarum rerum intelligentiam. Deinde vocabulum *νημα* occurrit 2 Corinth. IV, 4. *ἐν οἷς (ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις) ὁ Θεὸς τὰ αἰῶνος κατα ἐτυφλωσε τὰ νηματα τῶν ἀπίστων, εἰς τὸ μὴ ἀνγασθαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν τῆς εὐαγγελίας τῆς δόξης τῆς Χριστοῦ κ. τ. λ.* Quod ad eos, qui pereunt, attinet, Deus huius saeculi, i. e. *Satanas, excoecauit mentem istorum hominum a fide alienorum, vt illuminatio illa, quam euangelium de gloria Iesu Christi affert, in ipsis splendorem suum non possit exhibere.* Seiungit rursus Apostolus hoc loco duo hominum genera, eorum nimirum, qui fidem habent euangelio, atque eorum, qui a fide sunt alieni. Hinc in his postremis omnes illos intelligi vult, qui suis tantum naturae viribus gaudentes, salutarem verbi diuini efficaciam nondum admiserunt. Neque illos tantum his verbis carpit, qui euangelium nunquam audierunt: sed quam maxime id agit, vt causam ac rationem reddat, cur, cum ipse & alii Apostoli euangelium tanta fide & perspicuitate omnium hominum animis proponant, multi tamen illorum nullam veram huius diuinae disciplinae intelligentiam nanciscantur. conf. v. 2. 3. Etenim hoc inde proficisci affirmat, quod illi, qui euangelio haud obtemperant, atque ideo in mero naturae statu constituti, diuinam euangelii vim haud experiuntur, tanta caligine intelligentiae suae sint circumfusi, vt splendor veritatis in animum haud penetrat, neque illi recte intelligere aut aestimare possint, quid sit Christus atque eius beneficia. Id quod praeclare vidit *KNATCHEVLL* ad h. l. qui simul monet, respexisse, vt videtur, Apostolum ad Ef. VI, 10. conf. egregia monita *b. WOLFII* ad v. 3. 4. Atque quod ad vocem, *νημα*, attinet, supra (§. IX.) vidimus, supremas in illa contineri animi facultates, quae in intelligendo & ratiocinando versantur. Has vero animi vires Apostolus pronuntiat, in naturali veraeque fidei experte homine occaecatas esse. Quo quidem in sermone translationem quandam, siue metaphoram, inesse, quilibet perspicit. Atque quod hoc loco semel monuisse sufficiat, veram cognitionem rerum, quae sic expressa atque explicata, in scriptura sacra cum luce comparari, in qua sit constitutus homo, vt omnia probe videat, omnes norunt: ignorantia vero, peruersaque iudicia & ratiocinia, aut cum coecitate conferuntur, aut cum tenebris, vbi homo, quid sit rerum circa se, quoque vadere debeat, recte, ac prout decet, haud animaduertit. In eiusmodi statu versantur itaque naturales homines, quod ad diuinas res attinet, satana, cui secundum scripturam S. omnes sunt obnoxii, qui per Christum liberari se haud patiuntur, potestatem suam in eos exercente, vt neque quales sint istae res, recte capere, neque ratiociniis suis verum & bonum assequi queant, ita quidem, vt in clara luce collocati, obsequium praebant Christo atque praeceptis eius. Hinc &
vis

vis alius cuiusdam testimonii, quod ad vocem, *διανοια*, pertinet, facile poterit intelligi. Est illud Ephes. IV, 18. *ἐσκοτισμενοι τη διανοια, οντες ἀπηλλοτριωμενοι της ζωης τε Θεου, δια την ἀγνοιαν την εστων εν αυτοις, δια την πωρωσιν της καρδιας αυτων.* *Sunt illi, quod ad mentem eorum attinet, tenebris & caligine circumfusi, atque remoti sunt a diuina vita, idque per ignorantiam, quae est in ipsis, & per duritiem cordis sui.* Quinam hi homines sint, quos ita tenebris oppressos affirmat Apostolus, praecedens versiculus nos condocet. Seiungit nimirum, vt aliquoties iam obseruauimus, Christianos vera fide collustratos a toto ceterorum hominum genere, quos dicit ambulare in vanitate mentis, *τα υαs*, i. e. sequi eos in vita sua animum ac rationem totam vanis rebus occupatam. Et quamuis totum istud genus hominum a Christi fide alienorum vocet, *εθνη, gentes*; nullo tamen modo inde effici potest, quasi Iudaei, qui verbum Dei, quod ad externam praedicationem attinet, audire & intelligere poterant, excipiendi sint ab hoc Apostoli effatu, neque aliam ob causam gentes tanta caligine praefae dicantur, quam quod adhuc illis euangelium nondum fuerit annuntiatum. Hoc enim totam Apostoli sententiam improbe foret peruersurum. Etenim nihil certius est, quam Apostolum eundem miserum mentis & rationis statum etiam Iudaeis, qui ad Christum non conueriebantur, tribuere, atque ceteris gentibus. Id vero primum ex toto huius Epistolae contextu facile intelligitur. Etenim Cap. II. primo quidem pristinum conuersorum Ephesiorum miserimum statum v. 1, 2. describens, quos quidem plerosque Ethnicos quondam fuisse tantisper largiamur; confestim se ipse quasi explicans, ita format. v. 3, iudicium; vt idem, quod de Ethnicis dixerat, in vniuersum ad omnes homines pertinere ostendat. Non solum, *vos*, inquit, ita, misere quondam eratis affecti: sed & *nos*, qui nimirum iudaica stirpe sumus oriundi, tanta calamitate fuimus oppressi, vt sequentes cupiditates nostras atque nostra *iudicia ac ratiocinia, τας διανοιαs*, mortui essemus in peccatis, & irae diuinae obnoxii, naturae nostrae quadam conditione. Totam apostoli orationem corrumpit *ΓΕΟΤΙΥS* ad h. l. suo mere pelagianizans: cum primo Iudaeos putat hoc loco cum gentibus comparari eam tantum ob rationem, quia eo tempore Iudaei *επι το πολυ*, communiter, siue plerique, gentes imitarentur; deinde Apostolum affirmat se tantum ciuilitatis quasi gratia ipsum in hoc numero comprehendisse, quamuis caeteroquin probior fuerit caeteris Iudaeis. Sed neque, nisi apertam vim velimus verbis Apostoli inferre, possumus apostoli iudicium ad externam tantum communem vitam & mores referre, cum aperte de intimo mentis statu non quorundam, sed omnium Iudaeorum loquatur: & apostolus sibi ipse aliis locis eandem ignorantiam, Christi, & beneficiorum eius, & diuinae vitae tribuit, quam hoc loco & in

in aliis hominibus inesse dicit, usque dum supernaturali diuino lumine fuerit collustratus. conf. 1 Timoth. I. 13. 2 Corinth. VI. 6. Deinde vero integra propemodum tria prima epistolae ad Romanos capita in vno hoc communi loco versantur, vt in vniuersum ostendat Apostolus, eandem conditionem, quod ad turpitudinem naturae atque morum attinet, esse & Ethnicorum & Iudaeorum, neque quandam gentem, in hac quidem re, habere quidquam praecipui. *Quae est igitur nostra praesentia?* inquit diuinus vir cap. III. 9. *nulla omnino: etenim antea euicimus, & Iudaeos & Ethnicos pari modo peccatis esse obstrictos.* Atque ne quis Apostolum putet de externis tantum quibusdam flagitiis, non vero de naturae quaedam conditione atque statu loqui; ideo & antea de Ethnicis eiusmodi tulit iudicia, quae intimam mentis supremarumque facultatum corruptionem indicant, cap. I. 21. 26. 28 & de ipsis Iudaeis eiusmodi effata subiungit, quae peruersissimum intellectus atque rationis innuunt statum, atque conditionem: *nemo est inter eos, qui veram intelligentiam habeat: nemo est, qui Deum quaerat: declinarunt omnes: inutiles & inepti facti sunt: viam pacis ignorant* &c. cap. III. 11. 12. 17. Quapropter nec hoc ad Ephesios loco sine summa iniuria Iudaei, aut in vniuersum ii, qui naturalibus ingenii sui viribus diuinum verbum quodammodo meditantur & intelligere videntur, vilo modo possunt excipi ab vniuersali ista mentis caligine, quam Apostolus in omnibus hominibus deplorat. Sunt igitur secundum Apostolum omnes in vniuersum homines, qui diuina euangelii lucenondum sunt incrimine collustrati, quod ad supremas animi facultates attinet, *τη διανοια*, eiusmodi tenebris oppressi, vt res diuinas recte & prout decet haud capiant, neque eas vti par est iudicando & ratiocinando in hoc naturae statu assequi queant. Idque ipse Apostolus clarius explicaturus, confestim addit, eos *seuinctos esse a vita diuina.* Hoc enim est, in quo consistit rationis naturalis coecitas: non quod homo plane ne verborum quidem sensum, quibus diuinae res proponuntur, naturali intelligentia sua assequi possit; sed quod istas res ipsas, quae verbis enuntiantur, ita capere, ita totam in iis relucentem Dei sapientiam & voluntatem perspicere, itaque ratiociniis suis mentem disponere & dirigere haud possit, vt istam diuinam vitam reuera viuat, ad quam verbum Dei inuitat homines, quamque hominibus pollicetur. Atque hanc totam causam, quam prius metaphoricis quodammodo vocibus enuntiauerat Apostolus, claris atque perspicuis minimeque ambiguis verbis ita aperit, vt quam ante *caliginem* dixerat, nunc rotunde *ignorantiam* vocet, atque totum naturalium hominum genus affirmet, ignorantia diuinarum rerum teneri. Id quod antea dixi, inquit, gentes caligine esse oppressas, hoc quidem inde proficiscitur, quod summa ignorantia intellectus eorum laboret: atque quod vitam diuinam illis abiudicauit, hanc habet vim, quod animus eorum stupore quodam & quasi callo sit obdu-

D

ctus,

Εὐς, δια τὴν παρωσιὴν τῆς καρδίας αὐτῶν, i. e. quod animus diuinis rebus, simplici quadam apprehensione per naturalem verborum potestatem perceptis, neque salutariter moueatur, neque ad eum, tum suae ipsius conditionis, tum virtutis diuinæ sensum perueniat, ad quem Deus homines cupit perducere: quousque quidem homo diuinis istas res suis tantummodo intelligentiæ viribus iudicando & ratiocinando contemplatur. Hanc enim esse Metaphoræ vim, quam Apostolus voce παρωσις concludit, quilibet videt, atque idem esse facile intelligit, quod Hebraei לבב נב, vocant. Hefek. XI, 19. Vocabulum καρδία autem totum animum hominis complecti, quatenus iudicando & ratiocinando suum ipsius appetitum gubernat, supra (§. X.) demonstratum est. Iam vero perfacile foret, & aliis scripturæ locis, quibus vox καρδία occurrit, idem demonstrare, quod hæcenus, quod ad voces νῆς, νοημα, διανοια, attinet, demonstratum est: scilicet animo humano, quatenus voce καρδία atque hebr. לבב enuntiatur, secundum sacram scripturam naturæ quadam conditione summam inesse ignorantiam, turpitudinem, atque impotentiam in diuinis rebus; nisi, ne nimis longi futuri simus verentes, his quidem quæ dicta sunt, rem propositam satis superque probari arbitraremur. conf. interim Genes. VI, 5. Ierem. V, 21. cap. XVII, 9. Rom. I, 21. I Corinth. II, 9.

§. XVIII.

II) Alterum, quod Deus per scripturam sacram de animo & ratione humana testatur, est illud, quod coecitas ista, ignorantia, impotentiaque recte iudicandi & ratiocinandi de diuinis rebus, nullo modo possit aliquo studio & exercitatione, quam natura docet, depelli: sed requiri diuinam aliquam atque supernaturalem vim atque effectiōnem, qua hominis animus & ratio emendata & correctæ, ad maiorem gradum virium euehatur, quam quæ natura homini insunt. Atqui hoc quidem infinitis propemodum testimoniis scripturæ continentur, quibus nouus iste animi & rationis status & conditio, qua gaudent veri Christianæ disciplinæ alumni, atque lux illa, qua collustratur homo, cum euangelio obsequitur, eo modo ab vno Deo gratiosaque eius operatione proficisci dicuntur, vt plane nullo modo externa tantummodo institutio per naturalem aliquam verborum atque argumentorum potestatem, sed proxima, supernaturalis, & præsentissima diuinæ potentiae actio in ipsas animi vires intelligi possit & debeat, nisi quis clarissimis verbis improba opera caliginem obducere, quæque perspicue dicta sunt, studio peruertere velit. vid. Ex. gr. Hefek. XI, 19. cap. XXXVI, 26. 27. Ierem. XXXI, 31 sqq. Matth. XI, 25: 27. Ioh. VI, 44. 45. Nobis vero, vt saltem specimine aliquo ostendamus, istum gradum virium, ad quem humana ratio in diuinis rebus euehi debet, atque reuera euehitur, cum a Spiritu sancto illuminatur, nequaquam versari in exercitatione aliqua natura-

naturalium virium, quibus extrinsecus tantum diuinae res per scripturam obiciantur: sed potius esse supernaturalem effectum atque actionem intrinsecus in ipsas vires, quamvis per externum ministerium verbi producat; instar omnium sit vna Apostoli disputatio 1 Corinth. II, 4. seqq. Quam quidem vt totam recte animo complecti, grauissimaque doctrinae capita, ab Apostolo proposita, recte perspicere queamus; communes nonnulli loci, atque vocum quorundam iustae explicationes praemittendae sunt. Et de rebus diuinis ac spiritalibus, earumque intelligentia rectaque aestimatione & diiudicatione, totam Apostoli disputationem esse institutam, nemo adhuc vnus dubitauit. Sed illud primo controuersiam nonnullam habet, quamquam non propter verborum aliquam obscuritatem; sed quod multi praeoccupato animo ad Apostoli sermonem accedentes, videantur nolle veram eius sententiam perspicere: hoc igitur, inquam, controuersiam nonnullam habet, quid Apostolus in voce πνευμα, *spiritus*, intelligat. Atque huius quidem vocis, cum sit varia atque multiplex in scriptura S. potestas*; nulla tamen earum in hac Apostoli disputatione locum habere potest, praeter illam, qua *tertia* ipsius sacrosanctae Trinitatis *Persona* indicatur. Quod quidem tam est manifestum, vt quiuis facile intelligere possit, dummodo velit intelligere. Quamquam enim veram diuinitatem Spiritus S. atque eiusdem personalitatem, vt vocant, ex aliis clarissimis scripturae dictis Theologi recte demonstrant, neque haec copiosius persequi ad hanc nostram causam pertineat; attamen totum illud, quale sit, ex hoc ipso Apostoli loco euentissime intelligitur. Nam & de spiritu diuino, quatenus spiritui, qui ad hominis naturam pertinet, opponitur, disputat Apostolus: & hunc ipsi spiritum ad ipsam diuinam naturam pertinere, seu verum Deum esse, clarissimis verbis pronuntiat: eumque praeterca non virtutem aliquam, aut dona creata, hominibus collata, sed *Personam*, siue suppositum intelligens, dici oportere, nos docet. Quapropter eum discrete spiritum Dei vocat, v. 10. eumque a spiritu hominis, siue eo, qui natura humana continetur, accurate secernit v. 11. cumque eundem ita ad diuinam naturam pertinere asserat, quomodo spiritus hominis ad humanam naturam pertinet v. cit. atque ipsi infinitam intelligentiam, qua ipsa capiatur infinita natura diuina, i. e. absolutam omniscientiam tribuat v. 10. hoc ipso manifestis verbis docet, Spiritum S. a summa diuinitate haud esse seiuinctum: denique eiusmodi officia huic diuino spiritui tribuit, quae non nisi in personam, seu in suppositum intelligens vilo modo cadere possunt; vt, quod omnia *scrutetur* v. cit. quod ea *sciat*, quae in ipso Deo sunt v. 11. &c. Quae quidem omnia alio detorquere, perque nescio quas figuras rhetoricas eiusmodi sensum exprimere, qui non verbis manifestissimis, sed aliis opinionibus, iam

D 2

ani-

* videbis FLACII clau. script. S. voce spiritus P. I. p. 1186. seqq.

animo conceptis, sit consentiens; hoc vero est, non scripturae verba interpretari, sed ingenii sui somnia proferre. Cuius generis improba audacia nemini in mentem venire debet, aut potest, qui quid scriptura doceat, non vero quid ipse sibi fingat, tenere cupit. Iam vero, quam turpiter illi errent, intelligimus, qui, cum Deus in scriptura dicatur Spiritum sanctum nobis daturus; non venerandam illam diuinæ Triados tertiam Personam intelligi volunt: sed eiusmodi quid, quod quidem a diuina natura proficiscatur, sitque illius particula quasi quaedam, sed pertineat tamen ad ipsam humanam naturam constituendam, vt ipso amisso homo non amplius integer quasi homo sit; quippe in quo versetur ratio & intelligentia. Hominem igitur, cum per flagitia spiritus iste expulsus sit, definere esse rationalem hominem, nullamque aliam animam reliquam habere, quam quae ipsi sit cum brutis animantibus communis. At cum homo emendet vitam; spiritum illum hominis, siue animum rationalem, redire in hominem, eumque hoc modo non proprie spiritum Dei, sed suum ipsius spiritum recuperare. Atque iste perniciosus error, ex lacunis philosophiae ethicae haustus, apud Iudaeos nonnullos, eosque satis antiquos, inuenitur. Neque enim aliter, si sine partium studio rem consideres, interpretari ea possumus, quae

SCHOETIGENIVS * ex Iudaeorum *Medraschim* de Discrimine *animae rationalis, spiritus, & animae animalis*, in medium attulit. Etenim cum gentium philosophi, ii quidem omnes, qui rerum naturam in duas tribuebant partes, materiam & effectiorem, siue mentem diuinam, animum hominis, quo ratio continetur, particulam quandam putarent ex ipsa diuina natura decerptam, eumque secernerent ab anima bruta, quae perturbationibus & cupiditatibus esset obnoxia; Iudaei satis mature, vt alia quaedam diuiniore doctrinae capita, ita & hoc de spiritu Dei piis promisso, secundum Ethnicorum philosophemata interpretantes & ad ea accommodantes, Dei spiritum in animum rationalem, ex diuina natura decerptum, conuerterunt. Qui spiritus, cum in impiis & flagitiosis esse non possit; hos homines, putabant, ipsius naturae humanae aliquam partem amississe, atque retinuisse solam brutam animam, neque recuperare animae rationalem partem, nisi per veram ad Deum conuersionem. Neque haec ipsa de spiritu hominis, quod sit pars essentiae diuinæ, quodque ad illum pertineant, quae in scriptura S. de spiritu diuino, regenerante, renouante, & illuminante hominem, docentur, perniciosi opinio ad Christianos nonnullos, Pseudomythicos praecipue quosdam, aliunde manauit, quam ex his Ethnicismi & Iudaismi impuris fontibus. Qui vero inter Christianos eundem hunc ipsum errorem errauerit, quod spiritus Dei, piis promissus, atque a natura diuina profectus, sit pars aliqua simul naturae humanae, sceleribus amissa, per emendationem vitae vero

recu-

* ad I. Corinth. II, 14. Hor. hebr. T. I. p. 589 seq.

recuperata, post haereticos quosdam, *Valentinianos* praeprimis, TATIANVS primus videtur fuisse: qui aut a Valentinianis fuit deceptus; aut ex iisdem impuris fontibus hausit, a quibus & Valentiniani & Iudaei, a philosophia ista orientali nimirum, aut aegyptiaca, quae fuit foecunda mater portendosissimarum opinionum. TATIANVS igitur, quod ex ipsa inspectione orationis haud adeo longae, quam adhuc ab ipso reliquam habemus, cuius manifestum esse potest, iisdem propemodum verbis vsus, quas SCHOETGENIUS l. c. ex Iudaeorum Medraschim profert, animam rationalem putat esse mortalem, neque propter eam homines habere aliquid praecipui prae reliquis animantibus, utpote quae itidem rationis sint compotes: praestantiam vero hominis, contineri spiritu quodam diuino, quem vocibus ex scriptura S. sumtis, spiritum Dei & spiritum S. vocabat, qui vero ita pertineat ad naturam hominis constituendam, ut sine isto homo, a brutis animantibus sola articulata voce sit seiunctus, neque sit integer homo, neque immortalis, dum spiritum istum diuinum recuperaret. Etenim flagitiis eum amitti dicitabat TATIANVS, & iustitia recuperari: huncque vnum illud esse in homine, quod sit immortale. Eundem vero spiritum appellabat etiam *imaginem Dei*. Ex quo rursus conficitur, TATIANVM ab iisdem initiis petiisse doctrinam suam, a quibus Iudaei Kabbalistsae: hos enim praestantissimam hominis partem, per quam proprie ad communionem cum Deo in eundam sit aptus, itidem צלם, *imaginem*, dicere, notum est. Recentiori vero memoria inter Christianos non solum IS. PEYRERIVS in *system. Praeadam*. L. I. c. 6 sq. eiusmodi quid comminisci visus est*: sed & integra Iudaeorum & TATIANI commenta retiocavit HENR. DODWELLVS, eademque variis scriptis mordicus defendere annisus est**. Quin & in ZINZENDORFIANIS scriptis idem commentum me legere memini.*** Obseruenius igitur hoc loco, quanta sit cautio adhibenda, si ex Iudaeorum scriptis velimus scripturae S. phrasas illustrare. Toto enim coelo diuersum quid ab Apostoli mente est iste spiritus, quem Iudaei inducunt: ac qui Spiritum S. de quo Apostolus loquitur, velit ex Iudaeorum notionibus interpretari; nae is summam iniuriam esset illaturus diuinis scripturis. Ipse etenim Apostolus cauet, ne quis spiritum aliquem finitum se dicere putet, qui pertineat ad ipsius naturae humanae statum atque perfectionem: distinguit enim spiritum Dei a spiritu hominis*, sicut monitos nos esse vult, ne verba sua capiamus atque explicemus secundum vlla alia hominum cogitata. Sequitur alter locus paucis explicandus: qui quidem

D 3

in

* vid. ZACH. GRAPPI Theol. rec. contr. P. IV, cap. II. Q. II. p. 10. f.

** conf. GRAPPIVS. I. c. P. II. c. 4 Q. 2. p. 105 seqq.

*** conf. ven. WALCHII Einleit. in die Hebr. Gottesgelahr. L. II. c. 5. §. 32. p. 355.

* vid. etiam Rom. VIII, 16.

in eo ver fatur, vt ostendamus, quid Apostolus sibi velit, cum Deum dicit veris Christianis res diuinas ad salutem pertinentes *reuelasse* per spiritum suum, hosque affirmat *accepisse* spiritum Dei, atque propterea *πνευματικας, spirituales*, esse. Est vero tota oratio in hoc praecipue consumenda, vt dispiciamus, num his verbis tantummodo illud significetur, Deum quidem per Spiritum sanctum reuelasse nonnulla doctrinae capita nonnullis ad id delectis hominibus, quae vero nunc per scripturam S. extrinsecus tantum obiiciantur oculis atque auribus reliquorum hominum, nulla accedente interna supernaturali operatione & actione in ipsas animi vires: ita quidem, vt Spiritus S. per quem reuelat Deus piis mentibus res diuinas, quemque pii accipiunt, nihil aliud sit, quam ipsa doctrina diuina, quondam per Spiritum S. reuelata, ab ipsis autem hominibus nunc quidem naturalibus ingenii viribus intellecta & suscepta? an vero *reuelari* per *Spiritum sanctum*, eundemque *accipere* atque *spiritualem esse*, longe sublimius quid contineat, intimam nimirum spiritus sancti efficaciam & actionem, qua quidem per externum verbi diuini ministerium, attamen vere supernaturali modo ipsas ingenii humani vires adgrediatur, easque imbecillas nimirum & inepas ad diuinas res recte suscipiendas, ita emendet euehatque, vt & verum recte intelligant, & illud ad salutem suam vero obsequio suscipiant? Atqui illud prius si quis affirmare velit, tunc & dicendum foret, omnibus hominibus, quibus annuntiat verbum diuinum, reuelatam esse aequali modo salutarem doctrinam, omnesque Spiritum S. accipere, quibus offertur euangelium, vt illud animi sui viribus intelligere atque illi obsequi queant. Id vero eiusmodi est, vt non solum hic praefens Apostoli locus, sed omnino tota scriptura S. reclamet: quae quidem cum dicit, Christianos veros accepisse Spiritum sanctum, semper omnibusque plane in locis ipsam Spiritus S. efficaciam in ipsum hominis animum eo modo intelligi vult, vt eiusmodi quid de reliquo hominum genere dici omnino nequeat. Sic Ex. gr. ipse Seruator suos tantum veros discipulos affirmat accepturos Spiritum S. quem *mundus*, i. e. homines a fide alieni, *accipere nequeant* Ioh. XIV, 17. Quomodo vero, si Spiritus S. tantummodo externam verbi diuini praedicationem indicat, dici poterit, reliquos homines, qui non sint veri Christiani, non audire neque legere verbum diuinum, cum ipsa experientia eorum temporum omniumque aetatum repugnet? Et illi, qui Seruatoris aetate vixerunt, ex ipsius ore audiebant euangelium, & hi, quos Apostolus in nostro loco sapientes principesque huius saeculi vocat, audierunt, & nostri homines multi audiunt: quibus tamen omnibus & Seruator & Apostolus Spiritum s. plane abiiudicant: conf. v. 8. 10. 12. Igitur non de externa praedicatione loquitur Apostolus: sed de interna intelligentia recta, atque animi obsequio, quo quidem dicit discrimen istud effici, quod sit inter fideles & infideles, illudque proficisci haud sane ab homi-

hominis ipſius ſpiritu, ſed a ſpiritu Dei. Ex quo efficitur, vt Apoſtolus hoc loco per Spiritus S. reuelationem non ipſum verbum Dei, quatenus extrinſecus tantum annuntiat, naturalibusque humani ingenii viribus capitur, ſignificet: ſed internam quandam efficaciam ipſius Spiritus diuini, cum ipſo verbo quidem coniuncti, ſed ſupernaturaliter agentis in ipſum animum, qua largiatur ille homini rectam intelligentiam diuinarum rerum, rectumque animi obſequium; vt quod ad intelligentiam animique ſtatum attinet, plane alius homo ſit, ac reliquum hominum genus. Atque haec ſunt argumenta quae in ipſa Apoſtoli diſputatione inſunt. Quod ſi iam conſulamus reliqua ſcripturae loca, hoc tractantia negotium, vbique offendemus clariffima testimonia, quae nos auocant a naturalibus humani ingenii viribus, adducuntque neceſſario in eam ſententiam, vt in eiusmodi verbis, quando veri Chriſtiani Spiritum S. habere dicuntur, ſupernaturalem aliquam internamque effectiorem in eſſe ſtatuamus. Seruator promittit Diſcipulis *alium paracletum*, qui apud eos verſetur in aeternum. Ioan. XIV, 16. Quid? Ipſe diſcipulis ſuis haud annuntiauit ſalutarem doctrinam? alius venturus erat, qui aliam plane doctrinam annuntiaret, ac adhuc eſe ipſius ore audierant? aut iſte paracletus, quemadmodum ſeruator adſpectabili modo praefens diſcipulos inſtituerat, itidem ita in aeternum adſpectabilis doctoris munere fungi debuit? cui quaefo tam abſurda tamque aliena in mentem venire unquam poterunt? Quocumque te vertas, nihil ſani in interpretatione tua inueniri poterit, niſi ita Seruatoris verba capias, vt cum ipſe, quod ad oculis conſpicuam praefentiam attinet, diſcipulos ſuos eſſet relicturus, Spiritus S. eius loco interna inuiſibilique ratione per coeleſtem veritatem, quae quidem extrinſecus iam erat annuntiata, ita animos non ſolum Apoſtolorum, ſed omnium verorum Chriſtianorum eſſet illuſtraturus, vt veram intelligentiam diuinarum rerum capientes, ſuauiſſimum inde ſolacium, inuictasque vires contra omnium hoſtium impetus, ſentirent. Quapropter Spiritus S. munus non in externa ſolum verbi annuntiatione, ſed in interna quadam efficaciffimaque actione collocaſſe neceſſe eſt. Iam illud, quod Apoſtolus affirmat, Spiritum S. qui datus ſit veris Chriſti diſcipulis, vt praeterea *πνευματικοί*, *ſpirituales*, ſint atque vocentur, *ipſum intrinſecus eos agere, mentemque eorum pellere ad veram ſanctimoniam: ipſum clamare in animo eorum Abba pater! ipſum teſtimonium perhibere ſpiritu noſtro de adoptione noſtra*. Rom. VIII, 9. 14. 15. 16. quomodo tandem interpretaberis? num doctrina euangelii, quatenus extrinſecus annuntiat, clamat in nobis? num illud, dummodo audiatur, teſtimonium eiusmodi perhibet? ergo omnes homines, dummodo offerunt illis diuina doctrina, ſunt illius ſpiritus participes: ſunt ſpirituales: ſunt filii Dei, habentque ſuper illam rem diuinum iſtud teſtimonium? atqui haec tam ſunt putida, tamque remota a manifefſiſſimo verborum ſenſu, vt magnas progres-

progressiones ad impudentiam eum fecisse oporteat, qui eiusmodi quid comminisci haud vereatur. Quis tandem intelligere haud cogitur, Apostolum de interna quadam operatione atque immutatione animi loqui, quae in ipsis intimis mentis recessibus producitur, quoque diferimen istud continetur, quod alii, quibus annuntiatur aequali modo extrinsecus euangelium, sint filii Dei, alii non iidem. Atque haec interna mentis immutatio, totusque nouus animi status, quamquam ab externa verbi diuini praedicatione proficiscatur, cum tamen disertissimis clarissimisque verbis non spiritui nostro, quo continetur natura nostra rationalis, sed alii cuidam diuinae effectio, quae a spiritu nostro plane sit diuersa, Spiritui nimirum sancto, per verbum intrinsecus in animum influenti, tribuatur; hoc ipso cogimur fateri, immutationem istam statumque internum supernaturali modo effici. Id enim supernaturale omnes vocant, quod ab ipsius naturae viribus haud proficiscitur. Atque huius generis infinita alia occurrunt argumenta, quae latius hoc loco persequi nihil attinet. Stet igitur nobis sententia certa & euicta, quod Apostolus dicit, veris Christianis *reuelatas* esse diuinas res per Spiritum S. quem ipsi a Deo *acceperint*, id quidem ita capiendum esse, vt supernaturalis quidam Spiritus S. influxus atque actio in ipsas animi vires intelligatur, qua istae vires euehuntur ad rectam intelligentiam, obsequiumque diuinis rebus praebendum. Quae diuina actio, quamquam cum ipso verbo diuino semper arctissimeque sit coniuncta, tamen sit & maneat supernaturalis, animumque in eo intelligentiae gradu collocet, quo peringere suis naturae viribus omnique naturali exercitatione nunquam posset. Iam vero qualis sit illa *αποδειξις πνευματος και δυναμεις*, *demonstratio proficiscens a spiritu & potentia* v. 4. atque quale illud sit, quod fides verorum Christianorum dicitur effecta esse *εν δυναμει Θεου*, per *potentiam Dei*, v. 5, intelligimus. Cum praedicatione nimirum euangelii, quod Paulus ad Corinthios attulerat v. 4. supernaturalis ista effectio atque actio Spiritus S. coniuncta erat, qua diuina atque supernaturali potentia animus eorum, qui praefacte haud repugnabant, ita illustrabatur, vt reuera diuinarum rerum intelligentia obsequiumque fidei sequeretur: quod quidem totum ex ipsius humani ingenii natura atque viribus haud fuisset secuturum. Atque hoc ipso sensu Apostolus vocat euangelium *δυναμιν Θεου*, *potentiam Dei*, Rom. I, 16. qua quidem in voce inest, vt in scholis dicunt, *metonymia adiuncti*: euangelium scilicet eiusmodi est sermo, cum quo ipsa supernaturalis diuina potentia ad mouendum immutandumque hominis animum arctissime intimeque est coniuncta. Nunc vero tandem, qui sit nobis *tertius* communis locus, intellectu facile est, quis sit homo *ψυχικος*, *animalis* v. 14. quaeque sit *humana sapientia*, quam Apostolus seiungit a negotio salutis, inutilemque pronuntiat ad veram fidem producendam. v. 4. 5. 6. 8. 9. *Animales homines sunt οι πνευμα μη εχοντες*,

ignores, qui Spiritus sancti non sunt participes, Iud. v. 19. i. e. omnes illi, qui supernaturali Spiritus S. influxu & operatione adhuc carentes, suis tantum naturalibus ingenii atque animi viribus vtuntur, ad quemcunque etiam gradum scientiae atque intelligentiae istas vires naturali solum exercitatione perduxerint. * Atque humana sapientia est totum illud, quod homo sine Spiritus S. supernaturali efficacia, intelligendo, iudicando, & ratiocinando assequi potest. Neque enim aliter fert propositionum exclusuarum natura. Quemadmodum enim Theologi recte docent, cum homo dicitur iustificari coram Deo ex fide, non ex operibus legis Rom. III, 28, eo ipso excludi & seiungi a negotio iustificationis, quidquid non habet rationem fidei; ita eodem modo, cum Apostolus affirmat, veram fidem niti non humanae sapientiae fundamentis, sed supernaturali diuina effectione v. 4, 5. neque vllum hominem diuinas res recte assequi, nisi accedat supernaturalis Spiritus S. illuminatio v. 9. 10. 14, excluditur atque seiungitur ab isto verae fidei atque salutis negotio, quidquid non habet rationem supernaturalis potentiae atque effectiois diuinae. Hinc efficitur, vt totum hominem cum omnibus ingenii etiam praestantissimis facultatibus, cum tota ratione naturali, quemcunque sapientiae atque intelligentiae gradum natura assecutus sit, ex Apostoli sententia ineprum pronunciemus ad diuinas res recte & salutariter intelligendas, illasque vero fidei obsequio recipiendas, v. 6. 8. 9. 14. Quin & tota

E

ista

* Male ad h. I. ERASMVVS: cum Paulus hominem diuidat in tres partes, carnem, animam, & spiritum, hic animae vocabulo pro carne videtur abusus. Mira certe haec foret metamorphosis, siquidem Apostolus reuera hominis naturam diuideret in tres partes, mutare tamen animam in carnem. Ita sane quiuis quilibet ex scriptura S. exculpere posset. Sed neque diuidit Apostolus hominem in tres partes: & animam non opponit spiritui alicui, qui pertineat ad humanam naturam, sed Spiritui sancto, qui est ipse Deus. Melius VATABLVVS: nudus ille & naturalis homo, qui anima & corpore constat, & propriae animae, non Spiritus S. gubernatione regitur. & ZEGERVVS: animale hominem vocat Apostolus eam hominis partem, quam nostri rationem vocant, & optimam naturae: vt sit animalis homo ab anima, viuens non secundum crassissimi corporis voluptates, sed secundum animam, i. e. rationis usum; qualis vel SOCRATES, vel ZENO, vel PAVLVVS ante conuersionem esse potuerunt, & sunt, quicumque iusti vel sapientes sunt circa Spiritum Christi. Sic & CASTALIO, CLARIVS, LVD. CAPELLVS, atque ipse etiam GROTIVS; quamquam hic caetera huius capitis loca misere detorqueat. Miras vero vener. IO. FRIDER. WINKLERI strophas, & quodammodo noxias etiam, quas b. WOLFIVS ad h. 4, profert, accuratori examini subiicere, latiore potest locum.

ista sapientia, quam quis viribus a natura inditis assequi potest, omnesque argumentorum conclusiones, rationisque naturalis demonstrationes, haud sufficiunt, ad eam animi firmam persuasionem efficiendam, qua vera fides continetur: sed id quidem totum a supernaturali aliqua efficacia profecti debet, qua humanum ingenium maiores adipiscitur vires, quam natura habet. v. 4. 5. Falsum igitur est, & ab Apostoli sententia vehementer remotum, quod cum nonnulli contendunt vituperare nullo modo rectum eloquentiae usum, aut veram purgatamque philosophiam: sed tantummodo cum inanis loquacitatis sophisticas artes, quae ista aetate apud quamplurimos locum obtinebant, quibus non veritas, sed id modo propositum erat, vt aliis quidvis persuaderent; tum falsam impuramque philosophiam, erroribus refertam, qualis tum temporis inueniebatur, apud Graecos caeterosque populos. * Cum enim Apostolus, vt ostendimus, a negotio fidei & salutis omne istud femoueat atque sciungat, quidquid non sit in supernaturali ista diuinaque effectione; non solas profecto sophisticas artes spernit, sed omnino vniuersas ingenii humani naturales vires, atque quidquid ratio hominis suis naturae viribus assequi atque efficere potest, siue caeteroquin verum sit, siue falsum: quod quidem totum negat sufficere, atque imbecillum ineptumque pronunciat, ad largiendum animo nostro sublimem istam rerum diuinarum intelligentiam, qua continetur vera fides atque salus nostra aeterna. Hinc & in tota Apostoli oratione ne vestigium quidem apparet, quo significaretur, de certo tantum genere humanae sapientiae se loqui, de impura nimirum erroribusque contaminata philosophia istius temporis; aut certum tantummodo genus se notare naturalium hominum, sophisticas scilicet falsosque philosophos: sed vniuersam hominum naturalium omnium sapientiam eiusmodi haud esse affirmat, vt ratiociniis suis sint assecuti diuinam istam sapientiam, quam Deus in Christo patefecit ad salutem nostram v. 5. 6. 8. 9. conf. cap. I. 21. quamquam Christus ipsis sit annunciatus. Quin immo negat rotundis verbis, fieri unquam posse, vt homo, Spiritus S. supernaturali illuminatione destitutus, assequatur veram diuinarum rerum intelligentiam, quae sufficiat ad salutem, aut ita perspiciat diuinae doctrinae sapientissimum concentum, quo eam ex animo tamquam veram sapientiam veneretur, obsequioque recipiat: quoniam ad id quidem requirantur eiusmodi animi vires, quas solus largiatur Spiritus S. v. 14. Ieiunum plane est, quod dicas, rectam rationem, philosophiamque illam veram, quae recta ratione concludatur, immo virilis eloquentiae vim, ab ipso Deo tamquam praestant-

* vid. BLACKWALL. crit. f. p. 204 seq. & quae ven. WOLLIVS ad istum locum addidit.

praestantissimum donum ornamentumque humanae naturae, proficisci; quin & Paulum ipsum in omnibus epistolis & sermonibus suis accurate ratiocinari, grauissimoque quodam orationis flumine uti: quocirca fieri nullo modo posse, ut hoc loco praeclara ista Dei dona, quibus ipse Apostolus haud raro utatur, spernantur ab ipso atque vituperentur. Hoc modo qui rationes subducunt, quid sibi velint, me quidem haud capere, fateor: dicuntur enim omnia plane *divinos*. Atqui nec vituperat in vniuersum Apostolus rationem & philosophiam, neque commendat: sed ad id quidem, quod nunc ipsi propositum erat, nempe ad veram fidem, regnumque Dei in animis hominum constituendum, ineptam & imbecillam pronunciat omnem naturalem rationem, omnemque sapientiam humanam, quae ab ista naturali ratione proficiscitur. Num vero propterea negat, rationem atque sapientiam humanam alio respectu posse dici praestantissimum Dei donum, & afferre vtilitates longe maximas? Mechanicae artes sunt omnino longe praestantissimae ad usum vitae humanae, neque iis carere possunt homines ad hanc vitam bene iucundeque viuendam. Iam si quis asserat, quod quidem affirmandum esse nemo sanus inficiabitur, summum in istis rebus artificem, praeter istas artes, longe adhuc alia rerum cognitione indigere, longeque alio adhuc modo affectum quaerere animum debere; num is quidem propterea praestantissimum istud Dei donum spernit? num, quia mechanicae artes a Deo sunt hominibus concessae & in suo genere praestantissimae, in vniuersum pronunciemus, eas & ad veram sapientiam, & ad fidem christianam, & ad salutem aeternam sufficere, neque, si de hoc quidem praecise negotio quaeritur, posse eas semoueri & inutiles pronuntiari? Ratio & sapientia humana certe sunt res praestantissimae in eo genere, ad quod valent. At enim vero, prouti nunc sunt affectae, ab Apostolo dicuntur haud valere ad efficiendam veram fidem, largiendamque rectam diuinarum rerum intelligentiam: ergo & remouendae & seiungendae sunt ab hoc negotio. Neque tamen propterea in vniuersum contemnuntur. Et ad rectum praesertim rationis usum quod attinet, prouti nunc est affecta humana ratio, nondum a Spiritu S. collustrata; id ipsum est, quod Apostolus negat, posse hominem, quomodocumque iam utatur ratione sua naturali, peruenire suis naturae viribus ad eum intelligentiae gradum, in quo insit vera fides. Quemadmodum enim, qui stupore quodam atque tarditate ingenii impeditur, licet rationis viribus, quae ipsi adhuc sunt reliquae, quam possit rectissime utatur, nunquam attinget sublimiores Mathematicorum demonstrationes; ita in hoc quidem rerum statum totum humanum genus ab isto perspiciendae gradu deiectum, qui ad recte

Et intelligendas res diuinas requiritur, vniuersali quodam stupore mentis premitur, ne possint, quamuis reliquas vires, quam rectissime fieri potest, intendant, penetrare in sapientiam vere diuinam. Atque vt sine ambagibus dicam, quod res est, si presse inhaereas voci, *recta ratio*, prout nimirum ista voce indicantur recta rei intelligentia rectaque mentis iudicia & ratio-
cinia, quae ita se habent, quomodo se habere debent; ex Apostoli sententia rotunde pronuntiandum est, hominem naturalem in diuinis rebus *recta ratione* plane carere: vt qui neque recte intelligit, neque recte diiudicat, neque ratiociniis suis recte assequitur ea, quae sunt vere diuina. * Quare
recta

- * Temperare mihi haud possum, quin b. BALTH. MENZERI, magni quondam ecclesiae nostrae Theologi, egregia verba huc transcribam ex illius Disput. de *consensu rationis humanae cum mysteriis diuinis*, quae exstat Disput. Gies. T. VII. p. 47. seqq. Postquam enim b. vir th. 73. seqq. ex Adami lapsu demonstrasset, posse aliquid, quod a Deo proficitur, sitque Dei praestantissimum donum, a reſtitutione sua ita deſectere, vt plane Deo aduerſetur; pergit th. 76. seqq. „ valde fugiunt argumenti huius euidenciam, qui
„ philosophiam theologiae vilo modo repugnare negant: & protestantur, se non negare
„ peccatum originis & naturae humanae miseriam, in quam incidit per peccatum; neque
„ tamen desinunt commendare rationis humanae reſtitutionem, numquam a veritate Dei
„ deviantem, siue ei contrariam. Quae absurditas extrema est: nam si natura hominis tota
„ per peccatum misere corrupta, incuruata & obliquata fuit, vt cerre fuit; quo tandem
„ modo ratio reſtitutionem suam retinuit? si totus homo a Deo auersus est; quomodo
„ non etiam ratio hominis auersa dicitur? Non patet hic effugium de abstracto & concre-
„ to: agitur enim de ratione hominis. Quam rectam fuisse ante lapsum, scriptura testatur;
„ post lapsum rectam mansisse qui dicunt, Spiritui sancto in os contradicunt -- non hic lo-
„ cus exaggerandi illum lapsum: in quo totum decalogum esse violatum, & omnes &
„ singulas hominis partes, viresque, & sensus interiores & exteriores enormiter peccasse,
„ nullo negotio demonstrari potest. Num ergo ratio mansit recta? integra? sana? vide-
„ ant, qui rectam rationem in homine post lapsum commendant, quam prope absint a
„ Pelagianorum & Photinianorum choro: & cogitent, num scholasticorum theorema con-
„ firmare suo suffragio velint, naturalia post lapsum mansisse integra? Quod si nobiscum
„ descendere velint in sacrae scripturae piam meditationem, breui methodo totam rem
„ consciemus hoc modo: qualis natura, talis ratio: qualis ratio, talis sapientia. Atqui
„ natura est per peccatum corrupta; ergo corrupta ratio, sapientia. & th. 118. Nobis
„ certum est, quando ratio humana in sua, qua turget, sapientia -- se extollit aduersus
„ Deum; non esse abusum quendam accidentarium: sed ipsam rationem per peccatum
„ deprauatam, ferri aduersus Deum, & non posse non ita ferri, nisi per Spiritum S. il-
„ luminetur &c.

recta ratio, & quidem *naturalis*, in diuinis rebus commendari haud potest, quippe quae homini non amplius inest: atque hominum animo tum demum *recta* ratio in istis rebus redditur, cum euehuntur obrusae stupidaeque naturae vires, supernaturali Spiritus S. operatione, ad debitam intelligendi ratiocinandique facultatem. At vero, ita enim pergis, ipse Apostolus accurate ratiocinatur, adhibetque argumentorum conclusiones, omnibus demonstrationis regulis conformes: ipse vitur sermonis aliqua virili grauitate, quae secundum Rhetorum etiam leges sua gaudet concinnitate atque elegantia; quare nec in diuinis rebus rectum rationis vsum elegantiaeque praecepta contemnere videri potest. Sed nihil efficit. vtrique accurate ratiocinatur Apostolus: sed quod istam de diuinis rebus tam apte ratiocinandi facultatem naturali quadam ingenii vi sibi comparauerit, id vero est quod negat Apostolus v. 10. 12. 13. conf. 2 Corinth. IV, 6. Rectum rationis vsum in diuinis rebus ipsi reddidit supernaturalis diuina illuminatio: quemadmodum, quod statim videbimus, omnes veri Christiani rationem rectam Dei beneficio recuperarunt, vt istas res recte intelligere recteque concludere valeant. Sed hoc quidem est, non naturalis rationis, sed emendatae supernaturaliter & illuminatae. Adhibet porro Apostolus aptas argumentorum conclusiones, virilemque quandam grauissimamque eloquentiam: quod vero istae argumentationes istaque apta orationis dispositio, naturali suo quodam pondere, quatenus generatim vt a ratione humana effectae spectantur, tantas producerint animorum immutationes; id vero rursus inficiatur Apostolus, atque negat eiusmodi quid fieri potuisse, nisi diuina quaedam atque supernaturalis effectio adiuncta fuisset, ad mouendos conuincendosque hominum animos. Omnino aptam argumentorum sermonisque dispositionem, quae cum debita grauitate sit coniuncta, nemo prudens temere, ne in diuinis quidem rebus proponendis, vituperauerit; potest illa multis variisque ex causis perutilis, quin & necessaria esse: sed num homo naturalis sit aptus ad inueniendam aptam istam dispositionem, quae vbique rerum diuinarum dignitati & grauitati conueniat? numque praecise hoc consilio ea sit necessaria, & ad id valeat, vt naturalis argumentorum verborumque pondus, concinnusque ordo, homines ad veram fidem perducere queat? hoc vero Apostolus, quanta potest animi contentione, negat, cunctaque refert ad diuinam & supernaturalem vim, quae cum verbo Dei sit coniuncta v. 4. 5. 13.

§. XIX.

III.) At enim vero, quod nunc *tertio loco* dispiciendum venit, quantacumque iam sit rationis naturalis in rebus diuinis cecitas & impotentia, vt
 E 3 plane

plane nullo alio modo istas res homo recte assequi possit, nisi supernaturali lumine spiritus S. sit collustratus; ista tamen diuina effectio nequaquam nouam quandam substantiam, nouamque naturae partem, quae antea non adfuerit, creare censenda est. Sed ipsa illa animi vis, qua rationalis natura continetur, est illa res, quae subiecta est diuinae effectioni, vt eam emendet altiusque euehat, quam quo suo ipse motu & intentione ascendere possit. Quemadmodum oculus, cuius vires morbo & vitio quodam impediuntur ad clare recteque videndum, cum medicina adhibita integritati & sanitati restituitur, non alius quidem praeter istum oculum additur & efficitur nouus oculus, vt iam homo plura membra habeat ad videndum, quam antea: sed idem ille ipse oculus, a vitio & morbo liberatus, nunc clare videt; quamquam id sua ipsius intentione & motu assequi haud potuisset, sed medicinae in oculum vim suam exercenti vnice acceptum referri debeat. Atque hoc quidem ex perspicuis scripturae S. dictis conficitur. Ita certe Apostolus Rom. VIII, 16. totam causam explicat, vt illud, quod Spiritus S. operatur in veris Christianis, manifeste intelligamus non esse nouum animum quoad substantiam, vt prior rationalis natura plane tollatur, aut praeter illam noua substantia procreetur: sed esse potius supernaturalem actionem in ipsam illam naturam, quae antea iam adfuit, quaeque tantum ita immutetur, vt nunc intelligat atque sentiat, quod antea non intellexit aut sensit. *Iste Spiritus Dei*, inquit, qui est ipse Deus, non alium nobis spiritum creat, vt iam plures partes sint humanae naturae, quam antea adfuerint: sed *nostro spiritui*, quo iam antea natura nostra rationalis continebatur, *testimonium perhibet de adoptione nostra*, i. e. agit supernaturali sua diuinaque vi in eam ipsam naturam nostram intelligentem, quam iam antea habuimus, vt possimus ea recte intelligere, quae antea vires naturae nostrae excedebant. Sed vt totam causam hanc eo melius possimus animo complecti, *primum* illud teneamus, quod superiori paragrafo est ostensum, Spiritum Sanctum supernaturali sua operatione atque efficacia id efficere, vt plane alius sensus & intelligentia diuinarum rerum in veris Christianis insit, quam in naturalibus, siue vt Apostolus eos vocauerat, *ψυχωσις, animalibus*, hominibus: qui veri christianae disciplinae alumni, cum & noui motus animi nouaque dispositio voluntatis accedant, propterea sint *noua creatura*, 2 Corinth. V, 17. dicanturque induere *nouum hominem*, Ephes. IV, 24. habere *nouum cor atque nouum spiritum* Hefek. XXXVI, 26. Deinde discamus ex innumeris scripturae testimoniis, illos ipsos novos homines, siue veros Christianos, iidem, vt animales homines, meditari, cognoscere,

scere, iudicare, ratiocinari, siue omnes eas mentis operationes exercere, quas deprehendimus in naturalibus hominibus. vid. ex gr. totum alterum caput *prior. epist. ad Corinth.* Rom. XII, 12. 1. Ioan. V, 20. Matth. X, 16. Atque ipsa fides eiusmodi quid est, vt sine intelligentia, iudicatione, atque ratiocinatione esse nequeat 1. Ioan. V, 9. 13. Qua quidem in re illud modo intercedit discrimen, quod illuminati homines illud genus diuinarum rerum, quod animalis homo haud recte intelligit, nec recte diiudicat, nunc quidem ita capiant intelligentque, prout ad fidem, salutemque consequendam necesse est: quod quidem ex omnibus istis quae modo adduximus scripturae locis, atque ex tota hac causa, quam adhuc disputauimus, abunde apparet. Nunc vero *tertio* id quidem praecipue quaeritur, num natura ista atque substantia, quae ita in veris Christianis nouo modo nouaque in luce diuinas res intelligit, diiudicat, deque iis ratiocinatur, sit quoad substantiam & essentiam suam noua natura, atque ab illa intelligente natura, qua animales homines vtuntur, alia & diuersa pars hominis? an vero totum illud nouum, quod in supernaturali immutatione hominis efficitur, sit tantum noua conditio, nouusque status & habitus ipsius illius naturae intelligentis & rationalis, quae inest in omnibus hominibus? Atqui prius illud tam foret absurdum, tamque vehementer ipsi sensui & experientiae repugnans, vt vix fuerit credibile, vnquam vlli homini eiusmodi quid in mentem posse venire, nisi re ipsa mundus tam stolidos homines nonnunquam vidisset, qui eiusmodi commentis veritatem turbarunt. Etenim si quis istis vocibus, *nouum cor, nouus homo*, ita presse velit insistere, vt plane proprieque nouam substantiam indicari contenderet; tunc quidem cogitandum est, corpus non minus esse partem hominis atque naturae humanae, quam animum. Quocirca, cum non solum dicatur *nouum cor* siue nouus animus creari, sed *totum hominem* fieri *nouam creaturam*, induique in renouatione *nouum hominem*; sequeretur, vt & aliud corpus homo nanciscatur, quam quod antea habuit, neque minus ex duobus corporibus nunc quidem constet, quam ex duobus animis. At quis tandem eo stultitiae progredi possit? est igitur tam certum, quam quod certissimum, scripturam sacram, cum de nouo homine nouaque creatura producenda loquatur, nullo modo intelligi velle de noua natura, aut de noua parte humanae naturae, sed de conditione statuque nouo illius naturae, quae hominem constituit. Quod quidem porro ex eo manifeste conficitur, quod *coecitas, mors, tenebrae*, caeteraeque eiusmodi voces, quibus scriptura de animali homine loquitur, nihil aliud indicare possint, quam certam quandam conditionem, atque

atque statum illius naturae, in qua intelligentia & ratio inest. Hinc enim sequitur, vt depulso illius coecitatis atque tenebrarum & mortis itidem nihil aliud esse queat, quam nouus meliorque status & conditio illius naturae, quae antea coeca, mortua, & tenebris circumfusa fuit. Hoc nisi esset, omnino scriptura s. verba funderet, omni apto sensu omnique ratione carentia: quo impietatis nemo progredi potest, qui scripturae s. diuinam admittit auctoritatem. Neque enim aliter loquitur scriptura de ista hominis immutatione, quam vt necessario cogamur fateri, illos ipsos homines, qui antea coeci & mortui spiritaliter fuerunt, non mutata substantia, aut addita noua naturae parte, nunc rem melius intelligere ac rectius iudicare, quam antea: ita quidem, vt conditio & status naturae saltem sit immutatus. quis enim, si noua substantiae pars accederet, istos nouos homines eosdem dicere possit, qui antea fuerunt coeci & mortui. Illi ipsi enim, qui antea caligine premebantur, nunc illuminati sunt, Ephes. V, 8. Quis tam insanus fuerit, & hominem dicat, cum ex tenebris in lucem producitur, nouae substantiae & naturae suae accessionem facere: cum status tantum & conditio eius immutetur. Illi ipsi, qui mortui fuerunt, quod ad intelligentiam & obsequium diuinarum rerum atinet, resuscitantur ad vitam spiritualem. Ephes. II, 1. 5. Quis dicat, corpus resuscitari, si aliud plane corpus, praeter istud, quod mortuum erat, adderetur: resuscitatio enim eiusmodi nihil aliud esse potest, quam vt illi ipsi rei, quae mortua dicitur, vita amissa restituatur. Ipsi illi homines, qui nihil diuinarum rerum antea recte cognouerant, nunc quidem easdem intelligunt, & recte diiudicant. 1 Corinth. II, 9. 10. 12. 13. Quomodo quaeso affirmare possumus, *nosmet ipsos illos*, qui nihil cognoueramus, nunc cognoscere, si alia plane intelligens natura adesset, quam quae antea adfuerat? Atque vt adhuc pressius agamus, omnemque praescindamus elabendi locum, obseruari velim α) quod secundum clarissima scripturae verba non tantum idem ille generatim homo, sed eadem plane naturae humanae pars atque vis, quae antea inepta erat, ad certum quoddam rerum genus recte intelligendum, nunc ita emendata sanataque sit, prouti istarum rerum recta intelligentia requirit. Ea enim animi vis, quae *diavoiæ*, intelligentia, appellatur, in animali homine est obscurata & coecata Ephes. IV, 18. sed eadem illa pars humanae naturae, eadem animi humani vis, quae dicitur *diavoiæ*, illuminatur per Spiritum S. vt diuinas res recte perspicere possit Ephes. I, 17. 18. In eandem illam naturae humanae partem, quae β *καρδία*, *cor*, dicitur, quaeque naturae pars corrupta est, & ad diuinas res suis viribus percipiendas inepta Genes. VI, 5. inscribitur atque

que inculpitur diuina doctrina, vt eam recte percipiat homo, eidemque obtemperet Ierem. XXXI, 33. Eadem illa natura, quae appellatur *vis*, *mens*, quaeque erroribus criminibusque constricta est in hominibus a vera fide alienis Tit. I, 15. renouatur ad diuinam vitam, vt fiat nouus homo Ephes. IV, 23. 24. β) Ista vero vis atque effectio, quae ita illustrat hominis animum, & ad rectum sensum adducit, non est noua quaedam pars, quae naturae humanae sit super addita, praeter istas partes atque facultates, natura omnibus hominibus inditas, quae illustrantur & emendantur; sed est aliquid, non solum a natura humana, sed a tota rerum finitarum circumscriptarumque natura plane segegratum & remotum, ipse nimirum Deus, tertiaque sacrosanctae Trinitatis persona, efficiens in his, qui pertinaciter haud repugnant, per externum verbi diuini ministerium, maiorem modo gradum virtutum intelligendi in illa ipsa natura, qua iam continetur animus & ratio & intelligentia humana, at quae sine ista Spiritus S. supernaturali efficacia obtusior stupidiorque est, quam vt ad res diuinas recte intelligendas progredi possit. 1 Corinth. II, 10-12. conf. §. XVIII. Nulla igitur ne species quidem vltius argumenti relinquitur, quod nos adducere possit, vt puremus in *πνευματιοις*, *spiritualibus* hominibus, aliam quandam esse naturae particulam, quae diuinas res intelligat atque meditetur, quam illa ipsa vis & facultas, qua omnes homines intelligunt atque ratiocinantur, quaeque dicitur *animus*, siue *ratio* humana: quainquam in veris Christianis nouam ea acquirat conditionem atque statum, nouasque vires. Iam vero eos haud inepte loqui facile intelligimus, qui animum hominis ita emendatum & illuminatum non minus *rationem* vocant, quam eam intelligendi vim, quae in animalibus hominibus cunctis inest. Etenim veri Christiani, qui sunt Spiritus S. participes, eandem intelligentem naturam, quae ratio dicitur, retinent, neque substantiae aut quarundam nouarum naturae partium aliquam faciunt accessionem: sed ista animi vis, quae ratio subiectiua dicitur, emendatur & illustratur modo, vt ratio veri Christiani intelligat & perspiciat rectius meliusque diuinas res, ac antea facere potuerat. Quare istud, quod cogitat, percipit, intelligit, diiudicat, & ratiocinatur in Christi discipulis, est *ratio*, sed *supernaturaliter illuminata & emendata*. Videmus autem, quam grauis & necessaria sit ista cautio, cum de ratione humana, quidque ea possit, disputamus, vt discrimen illud inter rationem naturalem & illuminatam summo studio semper inculcemus. Est enim omnino ratio, qua intelligunt & ratiocinantur veri Christiani: sed ii, qui hanc ob causam rationem in vniuersum, nullo adhibito discrimine, laudant, similiter mihi facere videntur,

vt si quis homini, cuius oculi vitio quodam sunt corrupti, summam oculorum praestantiam, vt qui sint vnum videndi instrumentum, impense commendat, eumque iubeat oculis suis tantum recte vti, si verum videre velit. Est vtique oculus praestantissimum Dei donum, quod contemnere nemo sanus potest: atqui ille corruptus oculus, a quo homo laborat, non est eiusmodi, vt eam quis laudare queat, nisi sanitas ipsi reddatur. Nae miser iste semper peruerse res intuebitur, nisi ipsum imbecillitatis suae admonitum ad medicinam reuocet.

§. XX.

Denique IV.) illud accurate adhuc moneamus necesse est, supernaturalem istam effectiorem, qua emendatur & illustratur ratio, conjunctam esse cum scriptura S. quam extrinsecus aut lectione aut auditione percipimus. Non sine externis mediis agit Deus in hominis animum: sed sicut tota hominis natura ita est comparata, vt ab iis, quae sensus externos afficiunt, progrediatur intelligentia & ratione ad res a sensu remotas; ita & Deus, sapientissimus quippe ipsius naturae architectus, hanc naturae viam contemnere haud consultum duxit. Afficit verbo suo, quod per electos quosdam homines mundo reuelauit, externos hominum sensus, atque per oculos auresque penetrat in ipsum animum, vt eo ipso atque vnico actu, supernaturali diuina vi, mentis oculi atque aures aperiantur, i. e. vires intelligendi & iudicandi addantur hominis animo, dummodo ipse prae fracte haud repugnet, quae necessariae sunt ad rectam intelligentiam obsequiumque eorum rerum, quae illabuntur in externos sensus. Neque enim aliter ipse Deus testatur, se velle hominis animum emendare, Ioan. XVII, 6. 8. 20. Rom. X, 17. Neque aliter vnquam vllus homo ex tenebris corruptae intelligentiae ad diuinum lumen, siue veram intelligentiam diuinarum rerum, quatenus id in vniuersum ad conuersionem mentis & salutem pertinet, adductus est: quod quidem per totum scripturae sacrae campum cuius facile patet, qui verum videre vult. conf. I Corinth. II, 4. 5. 10. Ephes. I, 13. I. Petri I, 23. 25. Neque tota oeconomia diuina, qua homines ex errore peccatorum colligit Deus ad suam ecclesiam, suosque gubernat atque erudit, aliter patitur: vt quae tota in eo consistit, vt per externam praedicationem diuini verbi homines ad salutem erudiantur. Matth. XXVIII, 19. 20. Ephes. IV, 11. 14. Atque etiam tota haec diuina ordinatio plena est sapientiae atque benignitatis, neque aliud quid magis deprehendimus conueniens esse & maiestati diuinae & humanae naturae. Quod quidem totum cum

cum copiose & accurate alio loco proxime persequi, nobis constitutum sit, paucis hic indicasse satis habeamus. * Iam vero, quam lepidi, aut ut verius dicam, quam temerarii sint nonnulli, intelligimus, qui quo reliquos errores suos possint quodammodo tueri, neminem posse clamant Deum prohibere, quo minus & interna &, ut dicunt, immediata illuminatione animum hominis sine externo verbo erudire queat. De isto nimirum hominum genere sermo est, qui scripturam S. habent, sed abiectius de ea sentiunt, quam par est, adiunguntque illi quandam interiorem & immediatam illuminationem. Atque ita quidem clamant magna cum modestiae specie, quasi ipsi nolint Deo leges ponere, neque eius potentiam atque bonitatem tam arctis limitibus circumscribere. Quid vero, si ipse Deus sit testatus, quid sibi facere placeat? Recte dicis, neminem posse Dei consilium perferutari aut impedire: at si ipse Deus manifestavit, quid sui sit consilii; quis iam modestior est? Tunc, qui, quidquid iam Deus contra dixerit, tamen animum obfirmas ad ea expectanda aut probanda, quae Deus nunquam pollicitus est: sed quae potius toti oeconomiae, quam ipse ordinavit, repugnant? An vero ille, qui maiestatis diuinae & humanae humilitatis memor, veretur expectare aliquid & probare de diuinis consiliis & rationibus, nisi quod ipse Deus nobis manifestavit & testatus est?

§. XXI.

Concludamus iam, quae adhuc de discrimine rationis naturalis & animi a Spiritu S. collustrati, siue illuminati, copiose disputata sunt, quo iis deinceps commodius possimus uti, paucis quibusdam iisque breuibus positionibus. I. Ratio, qualis nunc natura omnibus hominibus inest, quod ad diuinas res attinet, plane est corrupta, neque apta ad eas rite intelligendas aut diiudicandas, adeo quidem, ut homo solis naturae viribus utens, *recta ratione* in rebus diuinis omnino destituatur (§.XVII & XVIII sub fin.) II.) Iste naturalis omnium hominum stupor & caligo nullo naturali studio aut exercitatione potest depelli: sed supernaturali ipsius Dei operatione opus est, qua agit in ipsas animi vires, easque retusas & debilitatas emendat, atque euehit ad maiorem gradum, quam qui natura adest (§.XVIII.) III.) Istud tamen, quod illa supernaturali effectione in homine producitur, quoque homo a Deo illuminatus diuinas res intelligit, easque recte diiudicat, non est noua quaedam natura aut substantia, ab ista intelligenti natura, qua omnes naturales homines vtuntur, diuersa: sed est ipsa illa animi vis, quae ratio dicitur;

F 2

* conf. Tractatum vernac. supra allegat. (§.XVI.) qui iam proelo commissus est.

tur; quamquam, cum antea debilitata & inepta fuerit ad diuinas res recte intelligendas, nunc supernaturali effectione sanata, emendata, & nouis viribus aucta sit. Quare recte appellatur *ratio illuminata*. (§.XIX) IV.) Denique Deus, cum ita supernaturali quadam actione animum hominis adgrediatur, non ita agit, vt plane nullum externum remedium adhibeat: sed coniuncta, liberrima Dei voluntate & ordinatione, supernaturalis efficacia est cum scriptura sacra, quae in externos nostros sensus incurrit, per quos itaque, interueniente scriptura S. Deus in animum penetrat, efficitque illas novas vires, quas recta intelligentia diuinarum rerum requirit. (§.XX.)

§. XXII.

His ita constitutis, nouae quaedam diuersaeque rursus considerationes *rationis* oriuntur, quatenus *ratio subiectiua* prout nunc *naturalis* nunc *supernaturaliter* illuminata est, varie coniungitur cum *ratione obiectiua*, aut cum aliis etiam principiis cognoscendi. *Ratione* enim *obiectiua*, siue *principiis rationis*, quatenus *reuelationi* opponuntur XI.) vel *ratio subiectiua naturalis* utitur: vel XII.) eadem principia *ratio supernaturaliter illuminata* adhibet. Rursus in reuelatione, quatenus tamquam principium quoddam cognoscendi spectatur, XIII.) vel *ratio naturalis* intelligendo & ratiocinando versatur: vel denique XIV.) easdem mentis operationes circa reuelationem *ratio supernaturaliter illuminata* exercet. *

* Particulam alteram huius primae sectionis, vt & duas posteriores sectiones, proximis occasionibus, iuuante Deo, formis exscribendas curabo.



Na 32.
g

ULB Halle


3


005 367 468



Na 11.







19

Q. D. B. P.

COMMENTATIO PRIMA
THEOLOGICA INAUGVRALIS

DE

VSV ET ABVSU RATIONIS
HVMANAE IN REBVS DIVINIS

QVAM

AVSPICIIS DIVINIS

ATQVE INDVLTV

VENERANDAE FACVLTATIS THEOLOGICAE IN ALMA FRIDERICIANA

PRO GRADV

AC PRIVILEGIIS SS. THEOLOGIAE DOCTORIS
RITE CAPESSENDIS

D. XVI. FEBRVARII MDCCC LVIII.

H. L. Q. C.

PVBlice VENTILABIT

M. CHRISTIANVS ALBERTVS DOEDERLEIN

SERENISS. DVVIS MECKLENBVRG. A CONSISTORIO SACRO

ET SS. THEOL. PROF. P. O. DESIGN. IN ACADEMIA

ROSTOCH.

H A L A E

EX OFFICINA SCHNEIDERIANA

